

www.e-rara.ch

Joh. Henrici Heideggeri corpus theologiae christianae

Heidegger, Johann Heinrich

Tiguri, 1700

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 6.1 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16971>

Locus octavus de angelis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

LOCUS OCTAVUS

DE

ANGELIS.

BREVIARIUM.

Inter exercitus Dei, quibus Ecclesiam in primis suam Deus regit, ante omnia Angeli sunt. 1. Nomina Angelorum explicantur. 2. Eorum definitio. 3. Existentia eorum ex Scripturis, ratione & consensu gentium demonstratur. 4. Philosophorum, Sadducæorum, Libertinorum, Hobbesii, Spinozæ, Angelos mera phantasmata, vel accidentia organorum sensuum esse contendendum, error perstringitur. 5. Spiritus sunt, & quidem simpliciter incorporei, secus quam veteres & recentiores Scholastici, Zanchius &c. asserunt. 6. Quorum ratiuncula diluuntur. 7. Non ab æterno existunt, sed in tempore a Deo, nec ante, nec post creationem mundi, conditi sunt. 8. & quidem recti; adeoque ad imaginem Dei. 9. Sunt creaturæ intellectuales, cognoscentes & se ipsos, & extra se tum Deum, at non quoad essentiam, vel cognitione quadam matutina a vespertina distincta. 10. tum res creatas, Angelos alios, mentes humanas, & corpora. 11. Notitia eorum finita, nec ad liberas cogitationes hominum, nec ad futura contingentia pertingit. 12. Principium cognitionis eorum est natura, usus & revelatio. Unde cognitio ipsa naturalis, experimentalis, vel revelata est. 13. Modus cognitionis Angelicæ exponitur. 14. Angeli etiam cum voluntate, eaque libera, sancta, sed sine affectu corporali, conditi sunt. 15. Perperam voluntatem eorum objecto suo immobiliter adherere Scholastici sciunt. 16. Eximia cum potentia conditos esse, opera eorum, & potestas in corpora & spiritus testantur. 17. Angelicæ potentiæ discernendæ certa regula figitur. 18. Conditi a Deo sunt ingenti numero, sed nobis incognito. 19. Distincti Angeli a se invicem sunt non specie, sed numero, ordine, & qualitatibus atque actionum gradibus. 20. In loco sunt, sed non localiter, nec modus, quo in loco sunt, definiiri potest. 21. Motus iisdem convenit, quoad mutationem existentie in hoc vel illo loco, sed non localis & propriè dictus; nec momentaneus. 22. Duratio eorum ævi nomine venit, & divisibilis est. 23. Apparent quandoque in corporibus etiam humanis; non tamen eorum animabus assumptis. 24. Alii eorum in veritate steterunt; alii defecerunt. Unde bonorum & malorum discrimen oritur. 25. Bonorum nomina. 26. Eorundem confirmatio immutabilis & beatitudo æterna probatur. 27. Quam non consecuti sunt meritis vel propriis. 28. vel alienis Christi Mediatoris. 29. Ministrandi officium a Deo acceperunt, tum *κατὰ θεὸν* respectu Dei, tum *κατὰ ἀνθρώπους* respectu fidelium. 30. Ordinatio ministeriorum illa Divina, sed arcana est; neque Hierarchiarum & ordinum distinctione, qualem Dionysius Areopagita inducit, constat. 31. Argumenta pro distinctione illa diluuntur. 32. Liberè a Deo ad salutem fidelium emittuntur. 33. Variante nihilominus œconomia officiorum iis impostorum pro varietate œconomie Ecclesie ipsius. 34. Platoniorum, Patrum & Scholasticorum de geniiis tutelaribus singulis hominibus a Deo præfectorum, opinio refellitur. 35. Angeli certi præfecti non sunt toti mundo, Ecclesie. 36. & certis imperiis eorumque rectoribus. 37. ac multò minus corporibus cœlestibus. 38. Cultum Angelis bonis fideles debent, amoris, reverentiæ, societatis. 39. at non religiosum adorationis, invocationis, &c. 40. Historia *Ἀγγελολατρίαν* in Ecclesiam inductæ. 41. Angelolatrarum argumentis occurritur. 42. Angelorum malorum nomina. 43. quæ non personarum singularium, sed officiorum vel qualitatibus esse, nequicquam Hobbesius, & Sadducæi veteres ac novi statuunt. 44. Mali non a Deo creati, sed sua culpa facti sunt, non retinendo initium, & domicilium proprium relinquendo. 45. Peccatum eorum quale fuerit, disceptatur. 46. Peccasse videntur authore uno & coryphæo. 47. Numerus eorum maximus; non tamen temerè definiendus, vel juxta ordines distinguendus est. 48. Status eorum immutabilis, & peccatum irremissibile, non tamen in Spiritum S. est. 49. E Cœlo ejecti, ubicunque sunt, in tartaro sunt, & judicium ultimum expectant. 50. Ignis æterni iisdem destinati natura horreri magis, quàm explicari potest. 51. Residuum nihilominus rerum notitiam non contemnendam habent. 52. quæ tamen ad cogitationes Dei vel hominum, & futura ab iis pendentia se neutiquam extendit. 53. Non obstantibus ejus oraculis & divinationibus, quarum vanitas ostenditur. 54. Habet Diabolus nihilominus suas profunditates, cogitationes, *ὡς δὲ δεικνύται*. 55. Potentia

tentia ipsi permagna superest, quia operum & judiciorum suorum instrumento & executore uti Deus voluit. 56. Regnum quoddam & Principatum, sed variè circumscriptum habet. 57. In corpora cœlestia nulla, in aëra magna potestate pollet. 59. Potest tamen in illis non pauca per motum localem. 60. Lycanthropia, seu conversionis corporis humani, vel belluini in belluinum figmentum eliditur. 61. Potestas Diaboli in hominem exteriorē explicatur. 62. Energumenum operationes demoni acceptæ feruntur. 63. In hominem interiorē nonnulla etiam ejusdem potestas est. 64. Ex inspirationibus Sathanae & conceptibus hominis confusis seductionis occasionem maximam nanciscitur. 65. Mixtum potestatis Diabolicae corporalis & spiritualis exercitium in Magia est. 66. quæ definitur, & auctore Sathana exerceri demonstratur. 67. Pro pacti cum Sathana expressi & taciti discrimine Magia quoque explicata & implicita est; quarum illa rarior, hæc communior & periculosior est. 68. Magiæ implicitæ in primis, nota generalis figitur. 69. & characteres speciales constituuntur. 70. Sathanas in Magia operum Dei emulum se astutissime gerit. 71. Lege Divina, qua præstigiatrix supplicium mortis decernitur, etiam striges & sagas modernas comprehendit, probatur, & contrariæ Wieri objectiones diluuntur. 72. Magos quosdam converti posse ostenditur. 73. Media conversionis eorum procurandæ legitima ab illegitimis distinguuntur. 74. Lesis à dæmone & magis Pontificii succurrunt per media, quæ ipsa magicam impietatem spirant. 75. Salutaria curandarum eorundem media explicantur. 76. Dæmon sensibili quandoque specie terret per spectra, quæ vera subinde apparere ex Scriptura, Judeorum & gentium consensu, & experientia ad-versus Sadducæos veteres & nō vos, Spinozam imprimis, probatur. 77. Quid non sint spectra, quid sint, & quibus in corporibus apparere dæmon possit, edisseritur. 78. Periculum assertionis novissimæ, quod dæmones coetibus humanis non intersint, nec quidquam apud homines operari possint. 79. Argumenta ejus ad incudem revocata. 80. Regni Sathanae decremēta per gradus suos procedentia. 81. Doctrina de Angelis bonis & malis usus. 82.

Inter exercitus Dei, quibus Ecclesiam imprimis suam Deus regit, ante omnia Angelis sunt.

I. Inter creaturas & exercitus veluti, quos in Regno suo, per creationem fundato, & per Providentiam gubernato Deus יְהוָה צְבָאוֹת Dominus exercituum, habet, principem locum Angeli obtinent. Quorum sublimium, cœlestium & invisibilium spirituum opera & ministerio non tantum mundum regit, sed in primis Ecclesiam ad salutem quodammodo perducit, pios & fideles potenter & elementer protegit, impios & infideles iuste punit, & male perdit. Quæ ex iisdem, missis otiosis speculationibus, quibus Scholastici in primis indulgent; repetere & explicare operæ pretium fuerit. Licet verò non adeò multa sunt, quæ de natura Angelica Deus revelavit, quia religionis doctrina hominem non vana rerum extra se contemplatione, sed certa salutis suæ scientia pascere voluit; tamen nec pauca etiam sunt, quæ ad gloriam sapientiæ, bonitatis & iustitiæ Dei pertinentia de iis Scripturæ prædicant.

Nomina Angelorum expressimur.

II. Nomen Angeli ex Scripturis solis haustum est. Nam Græca Versio, & Stylus N.T. eidem inhaerens, ἄγγελον Angelum vocat, quem Moses & Propheta prius מַלְאָךְ usitate appellarunt. Est autem מַלְאָךְ in genere, qui alterius nomine aliquid dicit & facit. Radicem Æthiopes retinuerunt; quibus מַלְאָךְ significat misit, Joh. V. 33. VII. 32. Notat ergo ἀπεσταλμένον missum, ut ministerio suo aliquid nunciet vel faciat. Unde ἀγγέλλειν nuntiare. Tribuitur porro vox ea tum Christo, qui κατ' ἐξουσίαν & ἐν δυνάμει מַלְאָךְ & מַלְאָךְ הַבְּרִית Angelus Jehovæ & Patris, Gen. XVI. 7. XLVIII. 16. Exod. XXIII. 20. Job. XXXIII. 23. Esaj. LXIII. 9. Malach. III. 1. appellatur longè augustius, quam ulla creatura; quia non minister à Deo missus est, sed Ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας, Nuntius & Pontifex nostræ aspilationis, Heb. III. 1. imago Dei in-

visibilis, Col. I. 15. in cuius medio est nomē Dei, Exod. XXIII. 21. in quo & in cuius voluntate Deus, & ejus voluntas cernitur: tum hominibus; quomodo Haggæus מַלְאָךְ יְהוָה בְּרִלְכֹת יְהוָה Angelus Jehovæ in legatione Jehovæ, Hagg. I. 3. Sacerdos מַלְאָךְ יְהוָה Angelus vel Legatus Domini Malach. II. 7. & Angelus, ib. III. 1. idem, qui ibid. cap. IV. 5. Elias vocatur; quin & Israel, servus Dei, מַלְאָךְ Angelus, Esaj. XLII. 19. vocatur: tum denique communiter iis, qui πνεύματα λειτουργούν Spiritus ministratorii, Heb. I. 4. insigniuntur. Aliis etiam nominibus insigniuntur, modò כְּרוּבִים Cherubim, Gen. III. 24. Ezech. I. X. &c. si ve quia iis Deus vel כְּרֹכַב curru suo utitur: si ve quia eorum emblemata erat כְּרוּב seu figura quatuor animalium in unum conflatorum, inter quæ etiam erat bos, hoc est, כָּרֶב arator, nomine Syris & Arabibus consueto: modò שֵׁרָפִים Seraphim, Esaj. VI. 2. 6. ab ardente, quo flagrant, zelo ita dicti: modò בְּנֵי אֱלֹהִים filii Dei, Job. I. 6. II. 1. XXXVIII. 7. modò וְיָגִיד Vigiles, Dan. IV. 10. 14. quia imperata Dei vigiles operantur & exequentur. Exotici Δαίμονες appellant; quæ vox in Scriptura impuris Angelis hæsit. Aristoteli νόες mentes, intelligentiæ: Latinis denique Genii (nisi forte animi hominis, qui cum homine genitus, seu esse incipit, hac voce primitus expresserunt) audiunt.

III. Sunt autem Angeli Spiritus à Deo in rectitudine creati, materia omnis expertes, per se subsistentes, intelligentia, voluntate, potestate eximia præditi, quorum alii in rectitudine sua perseverantes in eadem à Deo confirmati, eidem in præconio laudum ejus, nec non in regimine mundi, Ecclesie imprimis, ministrant: alii ab eodem deficientes, Cælo exturbati, pœnam luere incipiunt; & Dei judiciorum executores, post consummationem sæculi æterni ignis supplicium in æternum sustinebunt.

Da-

Damascenus *lib. II.* §. ita Angelum definit : quod sit; ἡσία νοσῶν, ἀεικίνητος, ἀντεξέστητος, ἀσώματος, Θεῷ λειτουργῶσα, κατὰ χάριν ἐν τῇ φύσει τὸ ἀδύνατον εἰληφύα, ἥς ἡσίας τὸ εἶδος καὶ τὸν ὄρον μὲν ὁ κτιστὴς ὁρίσεται, substantia intellectualis, semper mobilis liberi arbitrii, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem in natura per gratiam consecuta; cuius essentiae speciem & terminum solus Deus novit.

Existencia
eorum ex
Scripturis,
ratione &
consensu
gentium
demonstra-
tur.

IV. Angelos ejusmodi existere, Scripturæ V. & N. T. clarissimè probant, tum testimoniis disertis, quibus iis, qui Angeli dicuntur, quod creaturarum per se subsistentium est, tribuitur : tum visionibus Prophetarum, velut Esajæ, qui Seraphim super solum Jehovah vidit, Esaj. VI. 2. 6. tum historiis, quæ bonorum & malorum Angelorum apparitiones, sermones & operationes passim narrant. Suffragatur ratio, non quidem Angelorum existentiam demonstrans à priori, quia Angeli non magis, quàm ulla alia creatura necessariò existit, sed à posteriori, operationibus puta quibusdam & effectibus, qui in natura se proferentes nec Deo, nec hominibus adscribi possunt. Bonorum quidem Angelorum operationes Deo adscribi possent, exceptis sermonibus, quibus se Deo minores esse testantur. Sed malorum operationes, evidentes sunt non tantum in Scripturis, sed etiam extra eas, in arreptitiis, per quos incognitis linguis loquuntur sublimiora, quàm quæ arreptiti soli loquerentur : interdum turpia & blasphema, à quibus homines abhorrent, nec non in gentium μαγείαις, spectris, divinationibus, magia & γοητεία, omni, sive magi aliquò abducantur, & aliquid extra se videant, atque audiant, sive illusiones tantum patiantur, sive etiam veneficia, aut opera insolita per eos fiant. Talia enim nec Deo adscribi possunt, quia mala sunt; nec animabus hominum vel viventium, quæ aliena corpora intrare, & in atque ex iis operari vel loqui non possunt : vel mortuorum, quia nullo vel testimonio certo, vel indicio evidente constat, eas vel redire ad corpora, vel ejusmodi potentiam habere, quæ post habitationem in corpore ita amplificari possit. Unde Angelos Gentilibus, quanquam alio nomine, cognitos fuisse constat. *Dæmones* enim Græci, *Genios* Latini, uti diximus, appellarunt. Ac ne Angelorum quidem nomen iis incognitum fuisse, Labconis & aliorum auctoritate apud Augustinum *de Civit. D. lib. IX.* 19. constat. Pythagoram verò primum Philosophorum *Dæmonia* posuisse Simplicius *lib. de anima*, testis est. Et Plato in *conviv. p. 327.* Πάν, inquit, τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστὶ τῶ Θεοῦ τε καὶ ἐν τῷ Θεῷ *Omnis natura dæmonum* (bonorum & malorum Angelorum) *inter Deos & Mortales, media est.* Ejusdem sectam professus Plotinus *Enn. III.* 5. 6. *Dæmones αἰδία ἐφεξῆς τοῖς Θεοῖς ἢ δὴ πᾶσι ἡμῶς, μεταξύ Θεῶν καὶ τῶ ἡμετέρου γένους sempiternos, sequenti post Deos gradu, jamque generi humano propinquos, medios inter Deorum hominumque genus posuit.* Quale medium genus existere, fufius Cleombrotus apud Plutarchum *de Crac. def. p. 416.* demonstrat. Potuerunt simul id assequi ex ratione, modo jamjam laudato : simul in ea confirmari traditione Noachidarum. Nam & Ammonitæ, Moabitæ, quos notitiam habuisse Angelorum ex historia asinæ Bileami ab Angelo cohibita, colligitur; à Lotho Ismaelitæ ab Hagare : alii ab aliis, robur addentibus apparitionibus, o-

raculis, spectris, magiæ notitiam hanc mutuari facile potuerunt.

V. Nihilominus non tantum ex Gentium Philosophis *Democritus* non agnovit spiritus ullos; nec *Aristoteles* alios, quàm cœlestium orbium motores : sed etiam *Sadducei*, in Ecclesiæ gremio nati, λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ Ἀγγέλων, μηδὲ πνεύμα dicunt, non esse resurrectionem, nec Angelum, nec spiritum, Act. XXIII. 8. Quod ab illis asfertur mirari aliquis possit, cum Pentateuchum, in quo crebra eorum mentio est, receperint; nisi hodièque inter Judæos existerent, qui, quæ Angelis in Scriptura tribuuntur, causis naturalibus ordinariè vel extraordinariè à Deo motis adscribunt. Ac fuerunt etiam non tantum inter veteres, qui, Justino Martyre teste, asserbant, Angelos esse ἀπμήτας καὶ ἀχώρητους Θεῷ δυνάμεις, ἃς ὁ Θεὸς, ὅταν βέλῃται, πρὸς πρὸς αὐτῶν ποιεῖ, καὶ πάλιν ἀναστῆλκει εἰς αὐτὸν, indivisibiles & inseparabiles Dei potestates, quas Deus, quando vult, prosilire facit, & iterum ad se ipsum revocat : sed inter recentiores etiam fanaticos, qui statuunt, Angelos non aliud quàm motus, quos Deus in hominibus efficit, vel virtutis suæ, quæ edit, specimina esse. Quæ etiam post *Davidem Georgium*, impurissimum Hæresiarcham, *Libertinorum* parentem, *Hobbesii* insania est, *Leviath. c. 34.* asserentis, nihil esse Angelos aliud, quàm phantasmata, quæ nec realia sunt, nec diutius permanent, quàm somnium & visio, in qua apparent; quæ phantasmata non substantiæ, sed accidentia organorum sentiendi sint. Impropiè verò nuntios vel Angelos appellari, quando à Deo ad voluntatem suam significandam supernaturaliter producuntur. Quæ impia certè phantasmata, à Spinoza etiam, *Hobbesii* simia; uti ex Epistolis ejus colligitur, excepta, S. Scripturæ è diametro repugnant, utpote quæ Angelos non ut cerebri nostri idola, & nescio quos Præficarum nœnias, vel Plauti mortualia, sed ut vera ὑφιστάμενα passim representat; Nam & creatos, & spiritus, & crebrò missos, nuntios apparentes, imperata Dei strenuè facientes, Deum adorantes, in conspectu ejus stantes, quoad numerum myriades, legiones, hominibus ministrantes, scientia, voluntate desiderante, potentia, &c. præditos, quosdam lap'os, contremiscentes, domicilium deferentes, &c. eos inducit. Etiam epistola ad voluntatem scribentis significandam produciuntur : quæ tamen nuntii nomine nunquam venit. Fertur enim à nuntio, sed nuntius, qui substantia rationalis est, non appellatur. Quid verò multis? Angeli fuerunt antequam terra fundaretur, & homines existerent. *Job. XXXVIII. 7.* Non ergo hominum phantasmata sunt, quia φάντασμα sine φωνῇ ἢ ὁμιλίᾳ nullum est. Sed & Diabolus fuit prius quàm homo malus fuit; seductor quippe hominis : Non ergo Diabolus malus hominis motus vel genius est. Præterea homines post mortem ἰσχυροὶ Angelis similes erunt, *Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36.* Simile autem non est idem : uti quidem phantasma ab homine imaginante distingui nequit. Neque, qui in somnio Jacobo apparuerunt, Angeli, *Genes. XXVIII. 12.* ipsum somnium vel phantasma Jacobi fuerunt; nisi dicere volumus, Jacobo somnium in somnio apparuisse : sed Angeli veri fuerunt, qui ascendentes & descendentes somnianti apparuerunt. Denique nec in deserto Angelus ille populi dux & comes, vel apparitio

Philosophorum,
Sadduceorum,
Libertino-
rum, Hobbesii,
Spinozæ
Angelos mera
phantasmata vel
accidentia
organorum
sentiendi
esse contendunt
error perstringitur.

Angeli fuit ipsa *columna nubis* Exod. XIV. 19. uti Hobbesius nugatur; sed potius columna nubis fuit Symbolum præsentis Angeli Fœderis, qui ex columna nubis sese populo manifestavit.

Spiritus sunt & quidem simpliciter incorporei, secus quam veteres & recentiores Scholastici, Zanchius, &c. asserunt.

VI. Angelos esse *Spiritus* disertè Scriptura testatur. *Faciens Angelos suos* רוחות *Spiritus*, Psal. CIV. 4. *Exivit רוח spiritus & stetit coram Domino*, 1. Reg. XXII. 21. Christus *ejecit τὸ πνεῦμα* *spiritus verbo*, Matth. VIII. 16. sunt *πνεῦμα* *spiritus ministratorii*, Hebr. I. 14. sed *spiritus* nomen non eodem modo accipitur. Convenit tamen, non habere *spiritus carnem & ossa*, Luc. XXIV. 39. ac ne ejusmodi quidem corpora, in quibus propria eorum natura videri possit. Quæsitum verò est, an simpliciter *ἀσώματα* sint, & an non saltem corpus habeant, in quo naturali sua conditione habitent, & ceu incompleta entia ad corpus animandum & vegetandum ordinentur? Eò inclinant non tantum Philosophi veteres, Plato, Proclus, alii, qui eos genus aëreum & ἐξ ἡς τε ἀέρος ex aëre esse, qualia *σώματα ψυχικά* corpora animalia ante Platonem Pythagoram & Judeos statuisse ex Origene Grotius ad Matth. XXVIII. 9. observat, sed etiam præci Patres non pauci, Tertullianus, Origenes, Lactantius, Macarius, Gennadius, alii, adeo ut Johannes Episcopus Thessalonicensis. Conc. Nic. II. Act. 5. dicere ausus fuerit, ita Ecclesiam Catholicam sentire. Sed veteres illos in errorem induxit *παραγενεῖα* loci Genes. VI. 4. Ubi cum per *Filios Dei* cum filiabus hominum consuescentes perperam Angelos intellexissent, eosdem corporeos esse collegerunt. Quomodo etiam *Mubammed* cum Psal. CIV. 4. legisset, Deum *Angelos suos fecisse spiritus*, & *ministros suos* רוחות *ignem flammantem*, eosdem igneos, & ex igne ceu materia creatos esse collegit. Ut præteream *Scholasticos* nonnullos, Bonaventuram, Richardum, Aureolum, Augustinum Niphum, Cajetanum, alios, quin & Zanchium nostrum, qui ducibus suis Dionysio & Damasceno, materiales eosdem statuunt. Rectius verò materia omni carere dicuntur, si ve cujus materialiter ita dicantur, ut quoad substantiam simpliciter tales sint, constat satis, nil purè materiale cogitare, cognoscere, vel le, movere; quæ passim Angelis Scriptura tribuit, cum materia omnis agentis actum recipere, non agere ipsa apta nata sit: si ve ut materiæ uniatur, sicut mens humana corpori unitur, non magis probabile illud est, quia materia simplex & invisibilis, qualis aër est, nullis organis, menti Angelicæ ad animationem vel motum intervenientibus, constat, neque etiam mens Angelica ad simpliciter subsistendum materia indiget. Ideo etiam *πνεῦμα* *spiritus* dicuntur, ea voce, quæ & *ventis* convenit; in quo simile quid incorporeæ substantiæ est, quod nec videtur, nec palpat, sed celerrimos motus habet, quemadmodum & anima hominis eodem sensu *πνεῦμα* *spiritus* appellatur. Ita vox *πνεῦμα* *essentiis intellectualibus*, Deo, Angelis & menti humanæ augustiore & *ἀκατάληκτος* significatu tributa omnem materiam & quantitatem excludit, sed essentiam tamen non exæquat. Accedit, quod de Angelis nec ex revelatione, nec ex ratione aliud constat, quam quod sint intelligentiæ & mentes puræ, quarum essentia exhauritur potentiâ intelligendi, volendi, movendi, cujusmodi natura partium integrantium compositionem non admittit. Nam partes ejusmodi vel singulæ

æqualiter intellectivæ erunt, vel dependenter ab aliis. Si *prius*, virtus intellectiva indivisibilis erit, nec ad eam extensio partium determinata essentialiter pertinebit, cum tota adæquatè in minori salvetur. Omnis enim res, cujus quilibet adæquatè totum esse potest, simplex, indivisibilis, adeoque incorporea est; quia alias partes quælibet essentialiter superflue forent. Si *posterius*, partes per se non intellectivæ component totum intellectivum, quod æquè absurdum est, ac si dicatur, totum extensum ex partibus non extensis; calidum ex non calidis componi: Præterea in uno homine *legio* demonum stabulari potuit, Marc. V. 9. quod citra dimensionum penetrationem, si Angeli corporei essent, fieri non potuit. Denique, si Angeli materiales sunt, ratio reddi nulla potest, quin etiam anima hominis materialis dicatur, atque sic homo ex corpore & corpore constet.

VII. Neque juvant adversantium rationes. Nam *Filii Dei*, à quibus Nephilim sati sunt, Genes. VI. 4. non Angeli fuerunt, utpote qui nec *γαυῶσι* *nubunt* nec *ἐκγαυῶσι* *nuptum dantur*, Matth. XXII. 30. sed Sethitæ, qui Enoschi tempore cœperunt *יהוה בשם לקרא* appellari de nomine Jehovah, vel invocantes nomen Jehovah, oppositè ad Cainitas *Filii Dei* nuncupati sunt, Genes. IV. 26. Et apparuerunt non raro Angeli corporei, ut non tantum viderentur, quomodo solent corpora, sed etiam omnium verorum corporum munia obirent. Sed illud factum per apparitionem, ita ut non sua forma apparerent, sed aliena assumpti cujusdam corporis, quomodo ipse Spiritus Dei specie columbæ apparuisse dicitur. Id si à Deo maximè spirituali factum, cur non etiam ab Angelis fieri potuerit? Neque quia Deo soli absoluta simplicitas & spiritualitas tribuitur, iccirco nulla præter ipsum spiritualis substantia existit. Potest enim spiritus existere non absolute simplex, & essentialiter à spiritu infinito disparatus. Imbelle etiam illud est, quo ferè solo Zanchius nititur, quod Angeli moveantur de loco in locum. Qualiscunque enim iis tribuatur motus, non ille corporeus est, sed alterius generis de quo inf. a. Nuspiam certè *κινῶνται* moveri dicuntur. Denique nec solida Scholasticorum ratio est, quod, cum *Diabolo & Angelis ignis paratus* Matth. XXV. 41. dicitur, necesse sit illos corporeos statui, quia sola corpora igne torqueri possint. Sive enim ignis non materialis, sed metaphoricus ille est, quo cruciantur: nihil obstat, quò minus spiritum afficere possit: si ve materialis est, Divina virtute & ordinatione, novum ignem inter & spiritum nexum constituyente in ipiritus efficere facillè poterit, quod suapte natura non potest.

VIII. In exegesi operum Creationis Moyses nullam expressam, & ab aliis distinctam Angelorum mentionem fecit. Hæc causa veteres in errorem abripuit, Simonianos quidem, Saturnianos & Manichæos, ut cum Peripateticis Angelos Deo *συυαῖδιαις* *coæternos* statuerent: Patres verò *Græcos* pœne universos, & iisdem suffragantes Hieronymum, Ambrosium, & omnes ferè Augustino antiquiores, ut ante mundum eos conditos assererent. Quibus calculum addunt *Sociniani*, alique, sed non eodem animo. Cæterum non ab æterno eos extitisse, sed in tempore creatos esse, Scriptura docet. Moses enim

Quorum rationem diluuntur.

Non ab æterno extiterunt, sed in tempore à Deo, nec ante, nec post creationem mundi, conditi sunt.

disertè scribit: *Perfecti sunt Caeli & terra*, *וְכָל צְבָאָה* & *omnis exercitus eorum*, Genes. II. 1. Sicut autem exercitus terræ sunt animata & inanimata: aëris volucres Caeli, Matth. VI. 26. ætheris luminaria, Psal. XIX. 1. 2. ita Caeli supremi exercitus sunt & dicuntur Angeli. *Benedicite Jehovah Angeli ejus, fortes robore, facientes verbum ejus. Benedicite Jehovah omnes exercitus ejus; ministri ejus, facientes voluntatem ejus*, Psal. CIII. 20. 21. *Laudate eum omnes Angeli ejus: Laudate eum omnes exercitus ejus, &c. quia ipse præcepit & creata sunt*, ibid. CXLVIII. 2. *Ilico cum Angelo fuit multitudo* *שְׁלֹשִׁים וְשָׁנִים* *exercitus celestis*, Luc. II. 13. Voluit nempe Moses iis verbis pandere originem omnium rerum. quas inter ipse in historia sua Angelos passim, ceu Dei Creatoris ministros memorat. Clariùs etiam David: *Qui facit Angelos suos spiritus* (ventos seu ventis similes) *ministros suos ignem flammantem*, Psal. CIV. 4. Et S. Paulus: *In ipso condita sunt omnia, quæ in Cælis sunt, & quæ in terra: visibilia & invisibilia, &c. Omnia per ipsum condita sunt*. Coloss. I. 16. Si facti, conditi sunt, ab æterno non extiterunt; quia quicquid factum est, ex nihilo factum est, & durationem, partibus constantem habet: adeoque in tempore *ἐξ ὧν τε* esse cæpit, & *ἐν τῇ* *ἀρχῇ* in principio non fuit, Joh. I. 3. Si æterni essent, nec annihilari, nec in tempore mutari, alterari, perfici possent: imò nec fieri nisi per emanationem à Deo potuissent. Non emanasse autem à Deo constat, quia ab infinita essentia decisi non sunt. Præterea conditi omnino sunt non ante nec post mundum visibilem, tum quia quicquid ante mundum est, æternum statuitur, Joh. XVII. 5. Ephes. I. 4. 1. Pet. I. 20. tum quia quicquid ante mundum fuit, Deus est. Priusquam montes nascerentur, & formares terram, & a seculo usque ad seculum *אֵל הוּא* *tu Deus*, Psalm. XC. 2. *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum, & sermo erat Deus*. Joh. I. 1. Quin & verisimile est, eos primo die cum Cælo supremo creatos esse, tum quia non Cælum, sed sola terra dicitur *וְהָאָרֶץ* *vacua & inanis*, Gen. I. 2. adeoque Cælum incolas suos habuit: tum quia cum fundaretur terra super mare & fluvios, &c. *כוכבי בָּקֶר* *stelle matutine* (non naturales, quæ nondum erant, sed metaphorica, sive quia Angeli lucis sunt, 2. Cor. XI. 14. sive quia *בָּקֶר* primo mundi mane conditi sunt) *jubilant, & omnes filii Dei* (Angeli utique, cum homines nondum extiterint) *clanxerunt*, Job. XXXVIII. 4-7. adeoque jam secundo die, quo terra à Deo fundata est, extiterint necesse est: tum quia Psal. CXLVIII. 2. &c. Angeli inter creaturas Dei primore loco ante Solem, Lunam, stellas &c. recensentur: tum quia sicuti homo mundo absoluto statim incola datus & creatus est: ita omnino Angeli, Cælo, domicilio suo condito statim hospites dati pariter videntur.

Et quidem
recti, adeo.
que ad
imaginem
Dei.

IX. Creati verò sunt Angeli æquè atque homines in rectitudine, adeoque ad imaginem Dei. Licet enim Scriptura id disertè non asserat, uti nec creationem eorum disertis verbis memoravit: tamen orthodoxè & Scripturæ ἀναλόγως asseritur. Vocantur enim *בְּנֵי אֱלֹהִים* filii Dei, Job. XXXVIII. 4-7. Filius autem imago parentis est. Et Deo terram fundante, ceu filii Dei jubilasse & clanxisse dicuntur, applaudentes videlicet operi Patris sui, quo terram fundans moliebat, altius aliquod opus, creationē scilicet & salvatio-

nē hominis. Cui salvationis operi cum ministrare eos Deus voluerit, gratanter illi jubilo & clangore eo ministerium isthoc acceperunt, ut Deū, ceu filii Patrem suum, per illud glorificaverunt. Cūque imago Dei sit similitudo cum Deo in natura spiritali, rectitudine & statu dominii; satis constat, Angelos conditos esse tum spiritus, Heb. I. 14. tum rectos, sapientes, sanctos & integros, quia & boni creati sunt, Genes. I. 31. & ἄγιοι sancti, Matth. XXV. 31. & ἐν ἀληθείᾳ in veritate, seu cum cogitatione recta & ὁσιότητι & ἀληθείᾳ sanctitate veritatis, Joh. VIII. 44. tum denique cum statu dominii, quia *δουλοὶ καὶ ἐξουσία* principatus & potestates, Ephes. III. 1. 2. appellantur. Præterea perfectio hominis in eo erit, quod plena Dei imago ei restitueretur, Rom. VIII. 29. 2. Cor. III. 18. Atqui perfectio illa erit ἰσότης equalitas cum Angelis, Luc. XX. 36. Ergo ipsi etiam Angeli imago Dei sint oportet. Denique mali Angeli à Deo deficientes amiserunt imaginem Dei, quia amiserunt veritatem, seu veritatis sanctitatem, in qua non steterunt, Joh. VIII. 44. & cū impii imaginem peccati à Diabolo suscipiant, quippe qui ex Diabolo sunt, ibid. necesse est, Diabolum, seu Angelos malos adhuc integros imagini peccati oppositam imaginem Dei habuisse. Quod autem Angeli amiserunt, id primitus habuerunt.

X. Sunt ergo Angeli ante omnia substantiæ *νοεργαὶ intellectuales*, intelligentes & cognoscentes tum se ipsos, tum Deum, tum alios. Se ipsos cognoscunt non per speciem ullam, nisi quatenus se assimilant rei alterius; velut cū homo mentem suam cum luce comparat: sed per substantiam, quatenus vitam & operationes suas intimè sentiunt. Sibi enim ipsis intimè præsentibus sunt. Deum cognoscunt, non quoad essentiam, tum quia ad eam, utpote *φῶς ἀπὸ φωτός* lucem inaccessā cognitione sua perungere non possunt: tum quia & alis tegere faciem suam, ne fulgore Majestatis præstringantur, Esaj. VI. 1. tum quia *וְיָצַף* facies, anteriora, adeoque essentia Dei à nemine conspici potest, Exod. XXXIII. 20. tum denique quia finiti ipsi infinitam Dei essentiam obrutu suo limare nequeunt: sed quoad gloriam, Majestatem, potentiam & alia *εἰρηναία* Dei, quæ partim in imagine, partim in lege impressa, quam utramque in se inveniunt; partim in verbo, quod iis revelatur, cognoscunt. Neque verò visio Dei de facie ad faciem, 1. Cor. XIII. 12. & *ἴδω* speciei, 2. Cor. V. 7. Satietas *תְּהִינָה* imaginis Dei, Psalm. XVII. 15. essentia Dei visio est, sed cognitio Dei sicut & nos cogniti sumus, 1. Cor. XIII. 12. hoc est, expletio & consummatio nostri & Angelorum etiam, ut Deus in iis sit omnia & eos perfecta sapientia, sanctitate, lætitia, cujus capaces sunt, impleat. Repudianda proin est distinctio à Scholasticis ad palliandam *Ἀγγελολατρίαν* inventa, cognitionis Angelorum *matutina*, qua Deum & essentiam ejus cognoscant, & omnia in Deo, ut in speculo intueantur; & *vespertina*, qua res creatas omnes & se ipsos intuendo, Dei cognitionem colligant. Nemo enim novit Filium, nisi Pater, & nemo Patrem nisi Filius, Matth. XI. 27. Et quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei, 1. Cor. II. 11. Solius Filii & Spiritus S. est à Deo loqui, quæ viderunt, Joh. III. 11. 32. Et quæ in Filio paravit Deus, *εἰς τὴν* καὶ οἱ ἄγγελοι *ἐπιδρῶσιν* *ἀπαύψουσιν* in ea Angeli prospicere desiderant, 1. Pet. I. 12, atque ita ani-

Sunt crea-
turæ intel-
lectuales
cognoscen-
tes & se
ipsas, &
extra se
tum Deum,
at non
quoad es-
sentiam,
vel cogni-
tione qua
dam matu-
rina à ve-
sperina
distincta.

gmata Divini sermonis meditando, ratiocinando scrutantur. Quomodo igitur in speculo, verbo, essentia Dei omnia vident? Imò dum Deum cognoscunt, id inprimis cognoscunt, se non comprehendere eum, qui ἀκατάληπτος & ἀνεξέσυχτος & incomprehensibilis & impervestigabilis est. Quomodo insuper Angeli semper in cognitione matutina occupantur, uti Sophistæ iidem pertendunt, si in creaturis per vespertinam eum etiam cognoscunt? Fieri enim certè non potest, ut Deū cernant in se ipso, & simul in creaturis. Alterum enim directè, alterum indirectè & reflexo intuitu fit, quæ simul fieri nequeunt.

Tum res
creatas,
Angelos
alias, men-
tes huma-
nas & cor-
pora.

XI. Sed & præter Deum alios extra se cognoscunt. puta tum Angelos alios, ut ejusdem πλιτεια cives: tum creaturas reliquas spirituales æquè atque materiales, quas non minuscertè cognoscunt quàm anima hominis easdem à sensibus porrecta phantasmata cognoscit. Cognoverunt enim *fundationem terræ*, eique applauserunt, Job. XXXVIII. 4. 7. cognoscunt *peccatorem penitentem*, cuius penitentia latantur, Luc. XV. 15. Fos ad quos *mittuntur*, & opera, propter quæ mittuntur, Heb. I. 4. fideles mulieres, quæ sunt in Ecclesia, quæ propter Angelorum præsentiam *operto capite* esse debent, 1. Cor. XI. 5. 10. Cognoscunt & universalis in singularibus per mentis operationem collectis: & singularia, eaque tum præsentia, & sibi conjuncta, sive spiritualia, sive materialia, etiam sine auxilio speciei impressæ, utpote quæ absentes, non præsentis & conjuncti objecti vicem supplet: tum absentia & distantia mediantibus eorum effectibus.

Notitia eo-
rum finita
nec ad libe-
ras cogita-
tiones ho-
minum, nec
ad futura
contingen-
tia pertin-
git.

XII. Est tamen notitia illa qualiscunque & nostram multis parafangis antecellens licet, finita tamen, quia nec diem, nec horam iudicii sciunt, Marc. XIII. 32. & per Ecclesiam iis *multiformis Dei sapientia innotescit*, Ephes. III. 10. in quam *prospicere desiderant*, 1. Pet. I. 12. Proin nec liberas cogitationes & actiones aliorum, nec futura etiam contingentia sua natura citra revelationem certò & infallibiliter cognoscunt. Non illas, quia scrutari corda & renes, odorari timorem Domini, Divina proprietas est. Tu solus nosti animum omnium hominum, 1. Reg. VIII. 39. *Explorator cordium & renum*, Jerem. XVII. 9. 10. Dæmones quidem hominum cogitationes & consilia ex signis antecedentibus & consequentibus, animi corporisque qualitate, & phantasmatibus objectis sagaciter coniectant, nihil tamen certi de iis statuere possunt, nisi se prodant actionibus, aliisque sensibilibus indiciis. Iudicia enim mentis non necessariò phantasmata objecta sequuntur: ac sapius etiam sine iis procedunt. Angeli verò boni coniecturis non indulgent, sed iis in rebus, in quibus argumentum non necessariò cum rebus agendis conjunctum est, iudicium suspendunt. Neque juvat ad cognitionem certam rei liberæ consensus alterius, uti *Durandus* pertendit, quia alienus consensus facultatem intelligentem nec auget, nec minuit. Non hæc quatenus à liberæ voluntatis Divinæ vel humanæ determinatione pendent. Quia enim voluntas iudicium intellectus sequitur, qui certò & infallibiliter prævidebunt, quò se voluntas inclinatura sit, si prævidere non possunt, imò ne quidem videre intellectus humani cogitationes, consilia & decreta? Si humanæ voluntatis actus præscire nequeunt, multò minus ea, quæ à liberæ

voluntatis determinatione pendent, præscire poterunt. Solius Dei hæc præscientia est. *Priora ecce venerunt; & nova ego indico. Cum nondum exoriantur, pronuntio vobis. Ego indico & servo, & prænuntio, non autem ullus in vobis Deus alienus*, Esaj. XLIV. 7. 8. Ignoravit Diabolus, quo pacto Achab ruiturus esset, donec id ei Deus revelavit, 1. Reg. XXII. 20. &c. Et Christus Angelo, Angelus Johanni revelavit, à dei γένεσις, quæ oporteat fieri, Apoc. I. 1. Unde etiam Ignatius Sathanæ ignorantiam Virginitatis Mariæ, conceptionis & mortis Christi tribuisse dicitur; longè certè sanior Dionysio Areopagita, qui Angelis intellectum θεομορφον Dei-formem tribuere ausus est, eò quòd, sicut Deus una idea, ita illi multiplicatis ideis omnia & singula cognoscant.

XIII. Principium cognitionis Angelicæ triplex est; Natura, usus & revelatio. Unde ipsa quoque eorum cognitio vel naturalis, vel experimentalis, vel revelata est. *Natura* tum insitas notiones & ideas, tum imaginem Dei concreatam, & cum eadem rationem ac νόον, quin & λόγον seu ratiocinationem illam, qua à notioribus ignota colliguntur, & utraque connectuntur, iisdem suppeditat. Unde ex Dei idea insita Dei existentiam, ex imagine Dei ejusdem virtutes, nec non honesti & turpis, boni & mali discrimen, principia tum speculativa rerum naturaliter scibilium, tum practica rerum moralium; & conclusiones ex iisdem fluentes, aliæque ejusmodi ex ratiocinatione, quæ subtilis, sagax, velox iis præ ratiocinatione humana convenit. longè plura, quàm homo, circa se ipsos, Deum & res creatas cognoscunt. Cujus tamen cognitionis sphaeram definire, temerarium foret. *Usus* quoque & *experientia* cum intelligentia eorum conjuncta non pauca iis suggerit, quæ natura negat. Conversando enim cum Deo, principio & fine suo, secum invicem, & cum hominibus multa quotidie vident & experiuntur, hæcenus invisæ & in experta. Vident inprimis & experiuntur quotidie nova opera, quæ Deus in universali Regno suo, Christus in speciali Regno suo, quod Ecclesia est, quotidie noviter molitur. Ita per Ecclesiam iis πολυποίκιλος σοφία Θεοῦ multifaria sapientia Dei, cuius nova indies documenta se produnt, notificatur, Ephes. III. 10. atque illi ἀκριβέστες accuratè & diligenter inspicientes, uti solent, qui inclinato vel proclinato capite transversim aspiciunt & intropiciunt. (Quomodo Jacobo ἀκριβέστες εἰς νόμον τέλειον τῆς ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας, ille, qui inclmans se non tantum inspicit legem libertatis, sed etiam ei affixus manet, beatus prædicatur, Jac. I. 25.) res quotidie evenientes explorant, meditantur, scrutantur, 1. Pet. I. 12. *Revelatio* denique ea Angelis suppeditat, quæ nec per naturam, nec per usum assequuntur. Huc pertinent tum decreta & consilia Dei, quæ illis ad executionem eorum missis revelat, cum missione opus non foret, si naturaliter illa à se exequenda cognoscerent: tum cogitationes hominum, quas quandoque iis revelat, uti quidem Danielis preces ex animo fluxisse, Dan. X. 12. & penitentiam peccatoris seriam esse. Luc. XV. 7. 10. sine revelatione Divina certò cognoscere non possent: tum quævis mysteria, quæ à solius voluntatis Divinæ εὐδοκίᾳ pendent, neque sine significatione liberæ voluntatis Dei cognosci possunt, antequam fiant.

Principium
cognitionis
eorum est
natura, u-
sus & reve-
latio. Unde
cognitio ip-
sa natura-
lis, experi-
mentalis &
revelata
est.

fiant. *Quæ enim Dei sunt, nemo novit, nisi spiritus Dei*, 1. Cor. II. 11. quod ad *χαλεδὲν* ὑπὸ τῷ Θεῷ ea, quæ Deus gratificatus est, statim Apostolus v. 12. applicat.

Modus cognitionis Angelicæ exponitur.

XIV. Sed *modus* quo Angeli objecta superius exposita per principia isthæc cognoscunt, difficilior explicatu est. Se ipsos quidem per substantiam suam seu nulla mediante specie, eos cognoscere, supra diximus. Neque tamen seipsos intuendo omnia intelligunt, vel res extra se intelligunt *per essentiam suam*; quatenus per essentiam suam intelligere significat essentiam suam intuendo intelligere, vel intellectionem intelligentis ejusdem essentiam esse. Utrumque enim Deo soli proprium est, & ut in se ipso omnia videat, & ut ea cognitio nihil aliud sit, quam ejus essentia. Non autem omnia in essentia sua Angeli intelligunt, quia multa antè ignorata, absque essentia suâ mutatione intelligunt. Et qui alia extra se posita intelligit in se & essentia sua, is eorum causa esse debet. Secus in se ipso non cognosceret. Atqui Angeli rerum extra se positarum cause non sunt. Deum ergo, utpote sibi præsentissimum, ex idea & imagine sibi concreata agnoscunt. Alia omnia per species intelligibiles. Cum enim intellectus aliquid intelligit, de potentia mutatur in actum. Cum igitur res actu non sint in eorum mente cum eas intelligunt, nec possit mens à re extra se posita mutari, aliud, quo mediante intellectus ab objecto immutetur, intercedat oportet, quod non aliud quam species objecti vicaria potest; eaque non tam concreata, quia aliàs Angeli nil nisi initio intellectum percipere possent, sed ab objecto intellectui eorum, mediante facultate aliqua, phantasiâ, seu sensum internum supplente, impressa. Sigillatim verò Angelos extra se alios Angelos cognoscere per *irradiationem* dicuntur, seu quia sibi mutuò irradiat, ut cogitationes sibi invicem ea ratione representent. Quæ tamen vox metaphorica rem potius adumbrat, & crassa personos colloquia amovet, quam explicat. Si enim lux externa ad animam nostram pervenit, ut anima cognoscat corpora; quidnè etiam Angelus aliis Angelis suos sensus aperire queat? sed quomodo id fiat, definiri nequit. Cum tamen in iis præter intellectum & voluntatem nihil sit, & intellectus res objectas percipiat, adeoque merè passivè se habeat, voluntatis id omne erit, sive Deus nexum aliquem inter voluntatem Angeli unius, & perceptionem alterius, ut cum unus voluntatem alteri cognitam esse vult, is eam ilico cognoscat, constituit: sive voluntatem suam exterioribus signis ex mutuo pacto alligatam alter intelligat. Quomodo etiam res corporeas singulares percipere possunt ex positiva quadam lege Dei, *συνοψισιν* seu nexum quendam inter intellectum Angelorum & res materiales constituentis, juxta quem, sensibus licèt carentes, certo modo ab iis afficiantur. Neque magis laborandum, quomodo id fiat, quam quomodo anima nostra corpus nostrum moveat, & per illud rerum sensibilibus theatrum introspectat. Deus enim, ut causa prima, Providentia sua hæc efficit, prout vult. Proin etiam quæ vult, iis *revelat*, faciens in iis existere species, vel imagines rerum, sicut in anima humana, & excellentiore etiam modo. Unde in universum etiam modus intelligendi Angelicus hu-

mano longè perfectior est, licèt uterque per species fiat. Cum enim à corporibus separati, nullas sensuum imagines ac impressiones patiantur, illis utpote cogitationum suarum liberius dominium habentibus, mentium suarum actiones magis fixæ & constantes, ideæ clariores & distinctæ magis, quam hominibus, suppetunt.

XV. Ubi intellectus, ibi etiam *voluntas*, intellecta appetens, vel fugiens, locum habet. Angeli ergo sicut intelligentia, ita etiam voluntate libera præditi sunt. quæ ad ἀλήθειαν veritatem illam, in qua conditi sunt Joh. VIII. 44. pertinet. *Liberam* dixi, quia liberius quam homines per integram naturam suam recta appetunt, cum passionibus & motibus corporeis non turbentur, nec à destinato tramite avocentur. Nihilominus eorum æquè ac hominis libertas, ὑπεύθυ- νος est, & à Dei Providentia pendet. Cùmque non sine imagine Dei creati sint, sanctitate, justitia & rectitudine voluntas eorum carere non potuit. Nam & Deus, cujus imago creati sunt, & homo, ad Dei imaginem conditus, sanctus, justus, rectus est; ille essentialiter, hic ἀναλόγως. Proin etiam Angelus ἀναλόγως talis creatus est. Sed sine affectu seu passione corporali, qualis in homine locum habet. Licèt enim verè dicantur amare Deum, sese mutuò & nos, bonaque omnia: malos verò & mala odisse: gaudere nostrâ respicientiâ, & tristari peccatis; tamen isthæc & similia omnia pro ratione essentia, vitæ, & felicitatis Angelicæ merè intellectualis & coelestis intelligi debent. In hominibus enim animi motus sunt affectus, quatenus communionem cum corpore habent. Ita enim non nuda quadam vindictæ cupiditas est, sed etiam fervor sanguinis circa cor. atque ita de cæteris affectibus judicandum. At in Angelis affectus nudi voluntatis motus, sed vehementiores sunt.

XVI. Errant haud dubiè *Scholastici* asserentes, voluntatem Angelorum objecto suo immobiliter adharere, atque hanc causam esse, quod Angeli semel lapsi redimi amplius nequeant. Quomodo enim *originem suam non tenere, relinquere domicilium suum* Judæ v. 6. sine voluntatis mutatione potuerunt? Cùmque intellectum Angelicum objecto suo immutabiliter haud adharere, lapsus eorum demonstraverit, neque voluntas, quæ intellectum sequitur, objecto suo immutabiliter adharere potest. Neque enim dici potest, lapsos esse Angelos, quia in prima electione errarunt. Sic enim non sunt lapsi; quia labitur, qui stat, non qui nunquam stetit. Ergo Angeli objecto suo adhaerunt priusquam lapsi sunt: lapsi verò sunt, quia abrepti transversi deflexerunt.

XVII. Cum eximia etiam potestate Angeli creati sunt. Unde *כח נבירי præpotentes robore*, Psal. CIII. 20. & *δυναμὶς καὶ ἐξουσία principatus & potestates*, Ephes. III. 10. Ἀγγέλων δυνάμεις Angeli potentia, seu potentes 2. Thess. I. 7. & *μακροβύτοι Domini, rectores mundi, tenebrarum*, Ephes. VI. 12. appellantur. Et potentia eorundem testimonium opera, quæ iis stupenda in Scriptura tribuuntur, præbent. Ac primum magna eorum in res corporeas vis & potentia naturalis est. Etenim si mens hominis membra corporis sui vel consilio, vel sine consilio solo ap-

Angeli etiam cum voluntate, edque libera, sancta, sed sine affectu corporali conditi sunt.

Perperam voluntatem eorum objecto suo immobiliter adharere, Scholastici sciunt.

Eximia cum potentia conditoris esse, opera eorum, & potestas in corpora & spiritus te-stantur.

petitu moveret, sive id ad incessum, sive ad emolumentum corporis, sive ad artes discendas & exercendas, sive ad cogitationes animi significandas & representandas requiratur: quidni etiam Angelus, mente hominis potentior, vel immediate vel mediantibus causis naturalibus à se motis, res corporeas potenter ciere, impellere, determinare possit? Habent ergo, Deo permittente & ordinante, in potestate sua omnes causas naturales, & universam naturam, ut ejus impetum retardare, impedire, retundere, promovere, impellere possint. Ac forte ut plurimum, quoties ita naturæ cursus afficitur, id operâ Angelorum fit, saltem ubi effectus causæ secundæ virtutem non excedit. In corpora inprimis hominum magna vi pollent, quæ localiter movere, & quorum sensus tum externos tum internos mirè movere atque immutare possunt. Nam & externo sensui novum aliquod objectum vel à natura, vel à se formatum objiciunt, quomodo multorum equorum & armorum strepitu in aëre excitato exercitum Regis Syriæ in fugam pepulerunt. Et humores intus in corpore commovere, spiritus excitare, quin & alia quapiam ratione interna externos sensus percellere atque ita aures, oculos immutare possunt, ut videantur sibi videre novas rerum formas, audire novos sonos, quod phreneticis, melancholicis contingit: & sensus internos, phantasiâ, sive vigilantium, sive dormientium, ita afficiunt, ut ita ostendere & revelare, quæ volunt, & à Deo jussi debent, excitatis, mixtis, commotis variè phantasmatis, facile possint. Ac licet in intellectum & voluntatem hominis immediate non influant, cum solus Deus immediate mentes nostras spiritu suo illuminet, & voluntates, quod vult, potenter flectat; mediatè tamen & suo modo in utrumque illabi possunt. In *intellectum*, quatenus ceu instrumenta & *συνεργοί* Dei excitatis verbi auditi phantasmatis, & commotis cerebri spiritibus veritatem & bonitatem menti proponunt, & potentissimis illecebris assensum promovent. Quomodo Soli oculum hominis collustranti infervire dicitur, qui dormientem è somno ad lucem percipiendam, coloresque visendos excitat: Quin & Apostoli & præcones Evangelii Dei ad ingenerandam hominibus fidem *συνεργοί* sunt & dicuntur. In *voluntatem*, quatenus tum per intellectum, eo, quo diximus, modo affectum, voluntatem inclinant: tum passionem in sensibus excitant, à quibus ipsa voluntas ad electionem objecti quodammodo impellitur. Ideo *spiritus ministrorum missi ad ministerium propter eos, qui heredes salutis erunt*, Heb. I. 14 dicuntur, & cum *vento ac flamma ignis*, Psal. CIV. 4. comparantur, quia actionibus suis se indirectè animæ ipsi, intellectui & voluntati insinuant, & flammæ ignis ad instar tum mentem illuminant, tum voluntatem accendunt. Qua ratione sicut *Sathanas in Judam intrasse*, Joh. XIII. 27. & *cor Ananiam implevisse*, Act. V. 3. dicitur: ita multò magis boni Angeli in fideles intrare & eorum corda implere possunt.

Angelica
potentia di-
scernenda
certa regu-
la figitur.

XVIII. Sed tenenda certa discernenda Angelicæ potentie regula est. Eam potentie activæ, & potentie recipientis mutuus quidam responsus suppeditat. Omni enim potentie activæ aliqua potentia receptiva, eaque vel objectiva, vel obediens vel passiva respondet. An-

gelis verò potentia activa, cui vel potentia obediens, veluti cum aliquid fit ex nihilo vel obediens, veluti cum mortui resuscitantur, respondet, non convenit, quia utraque, ceu infinita, soli Deo propria est. At convenit iis potentia activa, cui passiva, seu naturalis, quæ naturaliter in actum deduci potest, respondet, quia talis finita est, & naturæ limites, non excedit. Cujus exerendæ modus in eo consistit, quod activa passivis scitè applicantes, ita corpora localiter movent, & sociant, ut ex conveniente corporum activorum & passivorum conjunctione actiones, quas directè vel indirectè, immediate vel mediatè perficiunt, orientur. Cum igitur intimam cujusque materie molem, particularum figuram, motum & ordinem pervideant, & quo quidque modo ab alio pati & moveri possit, accuratè intelligant, atque ipsi ea variè movere & ciere possint, admiranda certè opera, externorum & internorum sensuum commotione isthac, edere possunt. Neque etiam difficile iis est, ea ratione oculis objicere scotomata, quibus videre, quæ ante oculos sunt, prohibeant, pingere larvas, & menti phantasmata ingerere, ut se videre, quod non videt, existimet. Ubi verò potentie illi activæ & motrici objectum nullum, quod motum recipere possit, respondet, ipsa quoque cessat, neque ulla vi ulteriori pollet. Non possunt ergo creare, annihilare substantiam, ante nullo modo existentem producere, vel immediate & sine naturalibus causis mutare, (quomodo Christus aquam in vinum convertit) miracula ordinem & modum naturæ ac naturalium causarum excedentia patrare, mentem, voluntatem immediate afficere, cogere, ut sine omni renis obsequatur: solo nutu & voluntatis imperio quicquam efficere. Hæc enim & similia tum Deo propria sunt, tum in eo, in quo fiunt, potentiam passivam, agentis actum recipere idoneam, nullam supponunt. Deus iis materiam, quantam voluit, finitam certè, cum potentia eorum activa commensum habentem subiecit, ut eorum voluntate, non tamen sine ipsius nutu, adeoque non *συνεργούντες*, sed *συνεργούντες*, moveretur.

XIX. Sunt verò Angeli à Deo creati & plurimi, & inter se distincti. Deus enim, qui omnia in pondere, numero & mensura fecit, præcipuam artis suæ mensuram in numero & diversitate creaturarum intellectualium posuit. Magnus certè eorum numerus est, *Millia millium ministrabant ei, & decies milles centena millia assistebant ei*; Dan. VII. 10. *Currus Dei sunt myriades millium iteratorum. Dominus in eis est*, Psal. LXVIII. 18. *Erat numerus eorum millia millium*, Apoc. V. 11. Unde *קדוֹת רבות* *myriades Sanctitatis*, Deut. XXXIII. 2. Heb. XII. 22. *Duodecim legiones*, Math. XXVI. 53. *exercitus*, Psal. XXXIII. 6. *Castra*, Gen. XXXII. 2. appellantur. Estque numerus ille certus equidem & fixus, at incrementi & decrementi expers, quia nec generant, nec intereunt, Luc. XX. 36. sed soli tamen Deo notus. Mittimus proin inanes speculationes *Scholasticorum*, quorum alii cum Guilhelmo Parisiensi pauciores eos esse quàm homines; quia hominum vel salvandorum numerum adæquant, vel damnatorum resarciunt: alii plures esse, quia singuli homines Angelos custodes ex inferioribus ordinibus habeant; alii denique numerum Angelorum

Condit à
Deo sunt
ingenti num-
mero, sed
nobis incon-
gnito.

rum

rum & hominum æqualem esse, ἀπερ γεαφῆς καὶ λόγος, adeoque audacter definiunt.

*Distincti
Angeli à se
in vicem
sunt, non
specie, sed
numero,
ordine &
qualita-
tum atque
actionum
gradibus.*

XX. Sed distinctos tamen esse, ipse numerus, qui unitatum collectio est, evincit. Differunt ergo saltem numero. An verò etiam specie differant, quæsitum est. Affirmat *Thomas*, Aristotelica illa hypothesi, quòd sola materia quantitate affecta sit principium individuationis, adeoque spiritus materiæ expertes, si specie conveniant, etiam numero convenire debeant, fretus, sed periculoso errore, ex quo sequeretur, etiam animas humanas, spirituales utique, vel specie differre, vel numero convenire debere, quorum utrumque absurdum est. Et specie igitur conveniunt, quia non tantum nulla differentia essentiæ specificæ indicia vel Scriptura vel ratio prodit: sed etiam facultates essentielles eadem apud omnes obtinent: & numero differunt, addo etiam accidentibus, cujusmodi sunt ordo, officia & gradus virtutis, lucis & potentiae. In omnibus enim rebus Deus, non ἀναστασις confusionis, sed ordinis cultor, ordinem custodit: & ad ejusdem gloriam pertinere videtur; ut non eodem modo & mensura dona sua admetiatur. In diversitate enim & inæqualitate quadam virtutis & potentiae quoad gradus, nec non officiorum, Dei potentia, sapientia multifaria, & infinita divitiæ multò magis emicant. Quomodo in summorum Principum aulis nihil tam facit ad splendorem dignitatis Regiæ, quàm Palatinorū officiorum, quorum alia aliis subordinata sunt, multiplex inæqualitas. Etsi tamen in summa æqualitate minor obligatio, quia ex minorū collatione beneficiorū Dei magnitudo magis elucefit. Inter malos certè Angelos in malo differentia in Scriptura, quæ ἀρχὸν τῶν δαιμονίων principis demoniorum, Matth. XII. 24. meminit, testata fatis est. Nempe qui origine fuit optimus, deflectione pessimus fieri potuit. Huc facit quòd Angeli passim *εὐεργετῶν* nomine veniunt. Omnis autem exercitus ordinem & subordinationem quandam habet. Frustra verò obtenditur exemplum hominum, qui quoad naturæ statum ex æquo animalia rationalia sint. Nam nec ii à natura, etiam integra, purum rationis usum habent, uti sexus simul ac rationis, quo sexu discreti pollent, differentia ostendit: nec Angelorum rationes ad rerum humanarum formam componendæ sunt, quia non æquè Angeli atque homines ab una origine & stirpe dimanarunt.

*In loco
sunt, sed
non locali-
ter, nec mo-
tus, quo in
loco sunt,
definiri
possunt.*

XXI. Angelos esse in loco, dubitari nequit, sunt enim in Cælo, aëre, terra, inferno. At Cælum, aër, terra, infernus loca sunt. Et cum in terra sunt, non sunt simul in Cælo, quia hæc solius Dei proprietas est. Utpote qui, ceu immensus, etiam cum descendit è Cælo, est & manet in Cælo, Joh. III. 13. Neque enim Angeli sunt, vel esse possunt ubique, quòd *Durando* visum, quia nulli creaturæ id datum esse, suprà probavimus. Habent enim & essentiæ & operationis suæ fines, seu, uti vocant, sphaeram activitatis. Sed modus, quo Angeli in loco sunt, vix à nobis intelligitur, uti neque eum scire, nostra refert. Satis est quòd & fideles præsentiæ & præsidii eorum, Deo volente, jubente, certi sunt: & infideles eos iudicii Dei præsentes executores experiantur. Non esse in loco propriè, seu localiter, ita ut in eo extendantur, diffundantur, certum quidem est, quia corpora non sunt, quæ sola in spatio suo ex-

tenduntur, & ei commensurantur. *Scoto* substantialis præsentia citra operationem ad modum essendi in loco sufficit. *Thomas* rectius sine operatione in loco esse negat, quia ubicunque sunt, operantur intelligendo, volendo, etiam ad extra, Deum glorificando, ei apud homines reliquasque creaturas inserviando. Ut ita in loco esse dicantur, non quòd loco contineantur, sed ipsi operando potius locum contineant; uti rectè *Thomas*. Neque tamen operatio ejusmodi est modus essendi in loco; sed tantum ratio præsentiæ dijudicandi. Neque etiam ad rem aliquid dicunt, qui Angelos dicunt esse in loco divisibili, sed modo indivisibili, in eo consistente, quòd essentia Angeli non commensuretur loco divisibili, nec partes Angeli partibus loci, sed totus toti loco respondeat. Atqui quo id modo fiat, edisserendum fuerat. Denique nec qui cum *Alexandro Hales* definitivè eos in loco esse dicunt, quia cum hic sunt, definiri & designari possit, quòd non sint alibi, modum essendi in loco explicant, quia id ipsum de corporibus verissimè etiam dicatur; Quid ergo? Pia & sobria menti præstat, modum hunc ignorare, quàm scrutari cum discrimine, quòd Hierocli etiam visum, qui teste *Photio Biblioth. p. 754.* ex Platone de mentibus dixit, illas habere τόπον ὑπερκόσμιον locum supercælestem, qui κατ' ἀξίαν secundum dignitatem explicari non possit.

XXII. Sed & motus iisdem convenit. Nam ascendere, descendere, mitti, huc illuc proficisci, & migrare dicuntur. Præterea modò hic, modò illic, idque in locis admodum diffitis operantur. Operatio autem cum rei operantis præsentiā requiratur, Angelos nunc hic, nunc alibi esse, necesse est, quòd sine motu quodam fieri nequit. Et in assumptis quidem corporibus motus ille propriè dictus est, quia corpora illa ex vicinia corporum vicinorum in viciniam aliorum corporum transferuntur. Extra verò assumpta corpora, & per se propriè & localiter non moventur, quia nec in spatio localiter existunt, nec Ubi suum deferentes, & novum acquirentes, intermedium spatium, ut commeatum faciat, dividunt, vel resistantiam ejus, ut corpora mobilia solent, vincunt. Quæ causa est, quòd celerissimè etiam moventur. Nam quòd corpora æquè gravia, æqualia, & eadem figurâ prædita, alia tardius, celerius alia moventur, inde est, quòd medium interdum magis, interdum minus resistit; & quò minus hoc resistit, eò celerius illa moventur. Angelos ergo, quibus medium nullum resistit, celerissimè moveri necesse est; multò magis certè, quàm fulgur corporeum, quòd ex Oriente in Occidentem perniciosissimo motu fertur. Neque tamen inde sequitur, Angelos in momento moveri, vel deserto Ubi suo novum in momento acquirere. Licet enim medium non obstat, successio tamen, & novus actus priori succedens, nec non terminorum distantia, quæ moram aliquam exigit, obstat. Fieri enim, ut in eodem *ubi* & præsens ubi habeat, & eo deserto novum acquirat, non potest. Neque proin sine grano salis accipienda sunt isthæc *Tertuliani*: *Spiritus ales est, momento ubique est.* Quæstio porro, an Angelus ex uno extremo in aliud distans moveri possit, non transeundo medium, quam *Thomistæ* affirmant, *Scotistæ* negant, πᾶσι καὶ conceptum corporeitatis, quæ sola pro-

proprie transeundi causa est, apud Angelos involvit, adeoque ἀποιδεῖται est. Nam quod per corpora transit, id situm inter corpora habet. Neque aliud habere situm potest, quam quod partibus suis ambientia corpora contingit. Angeli verò spirituales cum sint, partes corporeas nullas habent.

Duratio eorum avi nomine venit, & divisibilis est.

XXIII. Angelorum *duratio* nec aeternitas est, quæ soli Deo, seu per naturam suam & necessario existenti convenit: nec tempus, vel continuum, quod rerum materialium, motu mensurabilem est; vel discretum, quod rebus sibi invicem sine continuatione succedentibus, non permanentibus convenit: nec instans permanens, quod defectibile est. Ergo αἰὼν αὐτῶν, quasi αἰὼν semper (à posteriori saltem) *existens*, illis tribui solet, propter durationem longinquam, cuius originem homo vivendo non attingit, & finis prorsus nullus erit. Qualem etiam voce חַיִּים Hebræi exprimunt. Perperam verò durationem illam indivisibilem & permanentem Scholastici plerique, Bonaventura excepto, faciunt. Ejusmodi enim duratio indivisibilis soli Deo, propter absolutam simplicitatem, convenit. Neque durationem, quam hodie Angeli habent, à principio habuerunt: & quam à principio habuerunt, illam hodie non habent. Hodie diutius durarunt, quam ab initio: & hodie brevius durant, quam post mille annos durasse dicentur. Et saltem minus semper durarunt, quam Deus, & magis durant, quam homo. Nulla autem res indivisibilis, quatenus indivisibilis est, magis & minus suscipit. Præterea si duratio Angelipermanens, & indivisibilis, non fluens, & secundum durationis partes divisibilis atque successiva est, in ea præsens, præteritum & futurum simul erit. Sicut ergo fieri non potest, ut Angelus qui nunc est nunc non sit: ita etiam fieri non poterit, ut porro sit. Quæ ἀποήματα nequicquam *becanus* externo denominationis, propter quam etiam de Deo differentia temporis enuntiantur, prætextu palliat. In Deo enim infinito nulli fines sunt: at in creatura finita quavis fines uti revera sunt, ita revera etiam denominantur.

Apparent quandoque in corporibus etiam humanis: non tamen eorum animabus assumptis.

XXIV. Mitti Angelos ad homines Divino imperio, & visibili forma iisdem haud raro apparuisse Scriptura testis est. Et plerumque forma visibilis, in qua apparuerunt, humana fuit. quod historia eorum Abrahamo, Lotho, Jacobo, Josue &c. apparentium probat. Nam verè humana, non φανταζόμενα fuisse corpora illa, quæ Deus illis adaptavit, & appellatio Divina ἄνθρωποι virorum Gen. XVIII. 22. XXXII. 24. & eorum in corporibus istis operationes, & sanctum cum iis, seu hominibus, commercium, & sermones, & convictus, & sanctorum virorum sensus omnes rectè dispositi, nec ulla vana imagine delusi, abundè comprobant. Neque temerè definiendum puto, corpora illa ex nihilo, an ex elementis facta à Deo sint: au hominum viventium ab Angelis, cohibita tantisper eorum phantasia, infesta & correpta fuerint; qua ratione etiam ex vivente serpente & asina Bileami Angelus locutus est. Quid fieri potuerit, satis liquet, sed non æquè quid factum sit. Sed corpora tamen humana si quando assumpserunt, animas simul humanas ab his assumptas esse, probabile non est. Potuerunt enim corpora vel in

nihilum, vel in principia sua reverti: at animam semel creatam vel annihilatam mox fuisse, vel perpetim sine corpore substitutam, ἀποποιεῖται videtur. Neque id necessitas ulla postulavit, quia easdem operationes in corpore, συγκαταστάσεως tantum gratiâ assumpto, Angelus edere potuit, quas anima potest. Neque etiam Angelorum cum corporibus ejusmodi assumptis unio hypostatica, sed parastatica & accidentalis fuit, ad quam requirebatur, tum ut Angeli substantia-liter in corporibus iis existerent: tum ut in iis existerent; sicut motor existit in mobili: tum ut iis tanquam instrumentis ad se manifestandos uterentur. Aliquando etiam corpora humana, vel alia etiam, sola specie externa induisse, atque ita cum hominibus egisse videntur: quod de malis, solis ferè præstigiis hominibus illudentibus, certius asseri potest.

XXV. Tamen si verò Angeli omnes boni, recti, integri, ad imaginem Dei à Deo creati sunt: non tamen omnes ἐν τῇ ἀληθείᾳ in veritate naturæ illius integræ perstiterunt, vel τὴν δόξαν καὶ τὸ ἴδιον οἰκητήριον principium & proprium domicilium suum retinuerunt, Joh. VIII. 44. Jud. v. 6. creati quidem omnes sunt boni, recti, sed cum bonitate & rectitudine mutabili, easdem ob causas, ob quas etiam homines conditos esse mutabiles suprâ diximus. Qui ergo in veritate perstiterunt, *boni*; qui ab ea defecerunt, *malis* dicuntur. de quibus seorsim nunc dicemus.

Alii eorum in veritate steterunt: alii defecerunt. Unde bonorum & malorum discrimen oritur.

XXVI. Angeli *boni* passim in Scriptura vocantur *Angeli Jehovæ*, Psal. CIII. 20. CIV. 4. ἐκλεκτοὶ ἐλεῖ, quia sanctitatis Dei secundum æternam electionem, propositum & εὐδοκίαν Dei participes sunt, 1. Tim. V. 21. ὁ ὡς πρὸς ἁγίους *sancti Dei*, hoc est, à Deo sanctificati, & in manu ejus positi, Deut. XXXIII. 3. Job. XV. 15. Matth. XXV. 31. *Angeli φωτὸς lucis*, ob cognitionem salutarem, & inde manantem amorem Dei, 2. Cor. XI. 14. *Angeli τῆς Θεῆς ἐν ἑρανῶ Dei in Cælo*, Matth. XXII. 30. τῶν ἑρανῶν *Cælestes*, ibid. XXIV. 36. quia & domicilium, & virtutes atque effectus eorum cælestes sunt. ὁ ἰσχυρὸς *Dii*, Psal. VIII. 6. XCVII. 7. propter officium & potestatem, quam habuerunt ad subjiendum sibi populum ad tempus: σύνδουλοι *conservi* fidelium, Apoc. XIX. 10. XXII. 9. *Filii Dei: Exercitus Cælorum, Cherubim, Seraphim*, &c. de quibus aliisque nominibus suprâ. Quin & passim κατ' ἐξοχὴν *Angeli*, non sine malorum Angelorum tacita dedignatione, appellantur.

Bonorum nomina.

XXVII. Hæc porro Angelorum bonorum epitheta, eorundem in bono & consummata sanctitate constantiam & stabilitatem abundè probant. Præterquam quod eandem validè evincunt tum tertia Orationis Dominicæ petitio: *Fiat voluntas tua sicut in Cælo, ita etiam in terra*, qua id enixè à Patre nostro Cælesti contendimus, ut tam alacriter, promptè & constanter ei in terra obediamus, quam alacriter, promptè & constanter Angeli in Cælo ei obediunt: tum Christi assertio, qua regenerationis filiorum Dei ex hominibus ultimam metam, & consummatam ac indeclinabilem perfectionem in eo constituit, quod in resurrectione ex mortuis futuri sint ὡς αὐτοὶ *Angelis similes*, Luc. XX. 36. Unde sunt illa S. Pauli ad illam regenerationis & renovationis in sanctitate & iustitia anhelantis suspiria: *Ecquomodo perveniam ad resurrectionem*

Eorundem confirmatio immutabilis & beatitudo æterna probatur.

mor-

mortuorum? In qua scilicet se perfectione & perseverantia sanctitatis *ιστιγελον* futurum credidit: tum denique Scripturarum analogia, qua illud *ιστιγελον* sicut regenerationis, ita etiam beatitudinis nostrae, quae immutabili sapientia & sanctitate nostra constabit, metam complectitur. quod collatio testimoniorum istorum, quae illud jam Angelis tribuunt jugiter in Coelis, quod nos post resurrectionem ex mortuis in Coelis expectamus, ostendit. Sicut enim visione beatifica *Deum de facie ad faciem visuri*, 1. Cor. XIII. 12. *visuri faciem Dei*, Apoc. XXII. 4. dicuntur: ita *Angeli parvulorum in Coelis* *αὐτῶν πάντες* in perpetuum, seu per omne tempus *videre faciem Patris*, Christi, *qui in Coelis est*, Matth. XVIII. 10. dicuntur. Denique quum Angelorum lapsum ea sit conditio, ut in gratiam Dei redire nec velint, nec possint: ita credere par est, bonos Angelos instatu gloriae similiter ita constitutos esse, ut ex eo excidere non possint. Unde venturi cum tuba Dei, & fideles in gloriam Dei, & Filii ejus adducturi dicuntur. Quae argumenta jugulum incidunt errori tum *Grotii* pertendentis, olim inter bonos Angelos factiones & studia contraria pro populis aestuasse, cum potius sub ducatu Filii Dei bellum gerant cum spiritibus nequam populorum Principibus, Dan. X. 13. 20. Apoc. XII. 7. Joh. XII. 31. tum *Episcopii* asserentis, Angelis bonis aequè mutabilem sanctitatem competere, atque hominibus in hac vita competit: imò hominum promptitudinem majorem gliscere, quia *cupere & optare potest, potius mori pro alio morte crudelissima, quam non obedire, praeceptis Dei: quod* inquit ille, *in Angelum cadere non potest*. Quomodo perfectior etiam erit charitas hominis, quam Dei, qui non magis, quam Angelus, morte crudelissima mori, quam non sanctè agere potest.

Quam non
consecuti
sunt meri-
tis vel pro-
priis.

XXVIII. Confirmationem in bonitate & rectitudine, primæva ipsamque adeo glorificationem suam Angeli boni, nec propriis suis propriè dictis seu ex condigno, nec alienis Christi Mediatoris meritis consecuti sunt. Non propriis & propriè dictis ex condigno, quod Thomas Aquinas, alique asserunt, quia opera eorum qualiacunque dignationem habere apud Deum, propter promissionem & *ἀνεκτικῶς* habere potuerunt: at dignitatem intrinsecam, cum gloria commensum habentem, habere non potuerunt. Nam & obedientiam, ut creaturæ, Deo debuerunt: & non sine gratia Dei eam præstiterunt: & finitam, cujus cum infinita gloria, seu communionem Dei ipsius aeterna & beatifica proportio nulla est, præstiterunt. Quod non obscurè etiam Eliphaz docet, Job. IV. 18. ubi ita pronuntiat: *Ece servis suis non confidit, & in Angelis suis ponit stultitiam*. Si enim illorum notitia & sanctitas cum Divina comparatur, quid nisi stultitia est? Infinita namque inter utramque distantia, ut meritis ex condigno locus nullus esse possit. Alii *הלה* reddunt *lucem*, ut sensus sit, quoties mittuntur, illos magis magisque illuminari à Deo, lucem, quæ in ipsis est, addendo, augente. quod eodem redit. Sicut proin sancti seniores coronas suas coram throno Dei projecere, & dignitatem omnem ipsi resignarunt, dicendo: *Dignus es* (solus scilicet) *Domine, qui accipias gloriam, honorem & potentiam*, &c. Apoc. IV. 11. ita Angeli etiam, fideles Dei servi, sanctitatis dignitatem intrinsecam a-

liam quam Dei, nullam agnoscunt. Neque enim gloriam consequi ex meritis vel consequentibus, vel simultaneis, vel antecedentibus potuerunt. Non ex *consequentibus*, quia nemini merces ex merito ante meritum contingit: & qui in statu gloriae est, in statu merendi amplius non est. Non ex *simultaneis*, quia in eodem simul mereri, simul glorificari nemo potest, & obedientia, quæ meretur, tractum temporis postulat. Non ex *precedentibus*, quia exigui adeo temporis, quod creationem inter Angelorum & lapsum quorundam, cujus tempore simul boni confirmati & glorificati sunt, obedientia meriti propriè dicti conditiones in nuda creatura sustinere non potest. Si tamen meriti voce consecutio pramii ex pacto & liberali promissione Dei intelligitur, ut quidem veteres & recentiores nonnulli intelligunt, meritum tale analogiæ Scripturarum non repugnat.

XXIX. At nec ex alienis Christi Mediatoris meritis gloriam consecuti sunt, quod *Scholasticis* nonnullis, *Suarezio* imprimis visum. Nam Angelus ipse nati Christi Salvatoris nuntium ferens: *Natus*, inquit, *est vobis*, (non nobis) *Salvator, qui est Christus Jesus*, Luc. II. 11. *Ad hoc enim Filius Dei manifestatus est, ut solveret opera Diaboli*, 1. Joh. III. 8. & ut *salvaret* *τὸ σωτηριῶνος* id quod perierat, Matth. XVIII. 11. Nulla autem Diaboli opera Angeli boni habuerunt, quæ à Christo solverentur. Neque boni Angeli perierunt, sed in veritate perstiterunt. Quin merita Christi in ejusdem morte, & quidem morte crucis, Phil. II. 8. fundantur. *Christus enim redemit nos à maledictione legis, factus pro nobis maledictio*, Gal. III. 13. At morte Christi, utpote vicaria pro alienis peccatis, Angeli boni, qui nunquam peccarunt, nulli indiguerunt. Neque etiam uspiam Angelis Christus promissus legitur: sed *mulieri*, ceu matri omnis viventis, & quidem ut *semen mulieris*; ac deinceps *Abrahamo & semini ejus*, Genes. III. 15. XVII. 8. Sed & Christo nomen inditum est *Jesu*, quia *populum suum salvat à peccatis*, Matth. I. 21. Atqui Angeli vita indiguerunt; quam etiam in Filio Dei, qui *vita* est, Joh. XIV. 6. consecuti sunt: at *salute* non indiguerunt; quia nemo salvatur, nisi qui prius peccavit & perierat. Angeli autem boni nec peccarunt, nec perierunt. Imago porrò Dei, ad quam primus homo, quin & ipsi Angeli conditi sunt, non est imago Filii Dei incarnandi, quod Osiandro statuenti, Christum in carnem venturum fuisse, licet homo non peccasset, visum: sed simpliciter Dei, quatenus is intellectus & voluntatis rectitudinem habet. Et dedit Deus Christum caput *καὶ πᾶσι* super omnia, Ephes. I. 22. Ipse est *κεφαλὴ πᾶσι; ὁ σώτης καὶ ὁ σωτὴρ* caput omnis principatus & potestatis, Col. II. 10. hominum quidem homogeneum, quoad meritum & influxum gratiæ interioris; quomodo *κεφαλὴ ἡ σῶμα* & *τὸ κεφάλαιον* caput corporis Ecclesiæ est, ibid. I. 18. Angelorum verò heterogeneousum, & quoad gubernationem eorum. Est enim *primogenitus omnis creaturæ*, ibid. v. 15. *ὁ πρῶτος πρωτόγονος* principatum obtinens apud omnes, ibid. v. 18. & *κεφαλὴ τῶν ἁγγέλων* præstantior factus Angelis, utpote quem *Filium*, ipsi ceu ministri adorant, Heb. I. 4-8. Eatenus igitur Caput, Princeps, Dominus etiam Angelorum, Ecclesiæ & familiæ ejus inservientium est; in quo & nos, ut Filio, cum

Vel alienis
Christi Me-
diatoris.

ipsis, Dei filiis, servis & amicis reconciliati sumus. Non tamen quia hoc sensu Angelorum caput est, eorundem etiam propriè dictus Mediator, & quidem intercedente ejus quodam merito, est; quia nec pro iis meruit, neque justitiam suam iis communicavit, neque eos, quod Mediatoris est, Deo, ceu offenso reconciliavit. Licet enim eos etiam hominibus reconciliaverit ἀπολάττωσιν *consequenter*, tamen propriè solum Deum hominibus reconciliavit, quia peccatum, Deum ab hominibus dividens, adversus solum Deum, non adversus Angelos commissum est. Denique nec defectus sapientiae & sanctitatis Angelicae, utpote quae finita est, impedit, quò minus Angeli sine Mediatoris interventu cum Deo cohaerere possint, quia defectus ille nullam peccati labem seu ἀνομίαν habet, adeoque non magis Mediatorem postulat, quam sanctitatis naturae Christi humanae, longè arctiori unione in persona Filii seu λόγῳ cum creatore suo cohaerentis, similis defectus, cum aequè illa ac Angelica finita sit. Esset autem ἀπερίστοτον aliquem sanctitatis defectum talem Christo tribuere, qui infinita sanctitate Mediatoris tegi necesse habeat.

Ministrandi officium à Deo acceptum, tum λειτουργικὸν respectu Dei, tum ἀπολαττωτικὸν respectu fidelium.

XXX. Deum Angelis bonis ministerium & curam hominum injunxisse, S. Scriptura testatur. Deus facit Angelos suos spiritus, ministros suos ignem flammantem. Psal. CIV. 4. מלאכי אנגלי, & משרתי Ministri ἐν ἀγγέλῳ collocantur. Ad quem locum alludens S. Paulus interrogat: Annon omnes (Angeli) sunt λειτουργικὰ πνεύματα spiritus ministratorii, emissi eis ἀπολαττωτικὸν ministerii causa, propter eos, qui heredes salutis erunt? Heb. I. 14. Ubi duplex in textu Græco denominatio est; prior, quæ Deum spectat, λειτουργία liturgia, quæ vox notat actum cum subiectione fervientis, & palam sacris operantis: posterior, quæ fideles spectat, ἀπολαττωτικὸν diaconatus, hoc est, ministerii, quod etiam conservis propter Deum impenditur, quomodo etiam fideles Corinthii dicuntur ἀπολαττωτικὸν τοῖς ἀγίοις ministrare sanctis, Heb. VI. 10. Ita cultum religiosum Deo impendunt λειτουργοῦντες, officium autem charitatis conservis suis ἀπολαττωτικὸν.

Ordinatio Ministeriorum illa Divina, sed arcana est, neque Hierarchiarum & Ordinum distinctio, qualem Dionysius Areopagita induxit, constat.

XXXI. Ministeriorum Angelicorum ordinatio isthæc Divina arcana tota est; utpote quam nusquam S. Scriptura explicat, ut temeraria curiositas sit Angelorum Hierarchiam, & Republicam nescio quam Coelestem definientium. Licet enim juxta ea, quæ supra etiam de distinctione Angelorum diximus, dubitare non liceat, quin rerum inferiorum gubernatio certo, non confuso ordine Angelis à Deo delegata sit: tamen ordo, quin & subordinatio quædam eorum Hierarchiam, seu imperantium & fervientium ordinem non postulat. Ex Platonis enim & Judæorum Cabbalistarum Angelos secundum turmas suas, veluti Mazaloth, El, Legion, Reiharton, Chirton, Gistara, &c. distribuentium, cuique earum suos veluti milites assignantium, non ex Spiritu S. schola fluxerunt illa τριών τετραδίων ἀπολαττωτικὸν trium trigarum ordinatio, hoc est, terni Hierarchiarum trium ordines, quos Dionysius Pseud-Areopagita, eumque non modico temporis intervallo secutus & interpolans Thomas Aquinas tam audaci ἀεὶ ἐξέλιξα commenti sunt, ut Angelorum ordinibus interfuisse, quin & coelestia ipsa dimensu videri possint. Nam, velut ex tripode, Hierarchiam illam in summam,

mediam & imam dividentes; in summa Seraphim, Cherubim, Thronos: in media Dominationes, Virtutes, Potestates: in ima, Principatus, Archangelos, Angelos collocant. In singulis verò ordinibus myriadas specie, dignitate, cognitione, officiis differentium disponunt; & supremam cuncta Dei; mediam universalia; imam particularia cognoscere & curare sciscunt. Denique & illud decernunt, quatuor ordines priores, puta Seraphim, Cherubim, Thronos, Dominationes perpetim Deo assistere: reliquos ad homines mitti, iisque ministrare.

XXXII. Hanc de Angelorum Hierarchia & Ordinibus Philosophiam à S. Paulo traditam, & à se acceptam Dionysius jactat. Quo solo indicio dogmatis illius vanitas se prodit. Non enim S. Paulum Dionysius ille vel vidit, vel audivit unquam; author quippe nothus & mendax: pluribus Seculis S. Paulo posterior. quod Hypatius Episcopus Ephesinus, apud Photium, & nostra ætate Doctissim. Dallæus post Doctores Pontificios saniores irrefragabilibus argumentis comprobarunt. Meræ igitur fraudis, quam homo unus, ἀ μὴ εἶδεν ἐμβαλεῖν in ea, quæ non vidit se immergens, Col. II. 18. tibicine id omne nititur. In Scripturis certè S. Pauli ne γὰρ nec μὲν occurrit. Nam Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Col. I. 16. forte ne Angelorum quidem nomina sunt: & si sunt, incertum est, ex mente S. Pauli, an usu Platoniorum Philosophorum illis hæserint: & si ex mente Pauli hæserunt, quàm imbellex notatione, eaque insufficiente (ubi enim S. Paulus novos illos ordines conjungit, & Hierarchias distinguit?) imò & obscura, quam se non intelligere olim S. Augustinus ingenuè professus est, argumentum est! Probari inde qualiscunque Angelorum distinctio posset: at non hierarchica illa Dionysii, Nam & plura Angelorum nomina, velut Ὠρεὶ Vigilum, filiorum Dei, Deorum, stellarum matutinarum, exercituum Cæli, &c. occurrunt: & Angeli quemadmodum à Cherubim, Seraphim aliisque distinguantur, edisseri non potest: & Angelis singulis nomina isthæc distincta licet conveniunt: & Archangelos plures dicere, imò etiam ordinibus reliquis ceu inferiores, postponere, ἀσύντονον est: & Archangelus unus in sacris memoratus, Angelus Fœderis, ἀρχὴ καὶ τέλος principium & finis Christus est, princeps & adjutor unicus Angelorum, Dan. X. 13. XII. 1. omnium, quin & princeps populi Dei sub utroque Testamento. Cùmque Dionysius Angelos illos ordinibus ita distinctos alios assistentes Deo, alios missos & ministrantes fecerit: contra S. Paulus Angelos πάντας omnes ministrare & mitti, Heb. I. 14. dixit. Quod ita Sophistæ detorquent, ut asserant, etiam assistentes dici posse, & mitti, verum non ad nos, sed propter nos; & ministrare, quia interno actu inferiores ordines illuminent. quasi qui propter parvulos, B. Mariam, &c. missi sunt, non ad eosdem etiam missi sint: vel Angeli inferiores lumen suum à superioribus, & non à Deo, qui ut omnem hominem in mundum venientem illuminat, Joh. I. 9. ita solos Angelos illuminat, הללך lucem in iis ponendo, Job. IV. 18. Vel denique S. Paulus non disertè de missione omnium ad ministerium fidelibus navandum loqueretur. Etenim si superiores illos assistentes scilicet S. Pau-

Argumenta pro distinctione illa diluuntur.

S. Paulus omisisset, annon excipi putaret, dari saltem Angelos quosdam, non ministrantes & Christo æquales? At nec viva voce sola S. Paulus Hierarchiæ istius mysterium tradidit, tum quia, quæ prædicavit, etiam scripsit: Docens ita omnem hominem πάντων σοφίαν omnem sapientiam, ut exhiberet omnem hominem perfectum in Christo Jesu, Coloss. I. v. 28. Accedit, quod Christus Matth. XVIII. 10. dicit, *Angelos parvulorum*; seu qui mittuntur ad custodiam parvulorum; semper in Cœlis videre faciem Dei. Ipsi ergo illi, qui mittuntur à Deo, immediatè in Cœlis à Deo, cui videntes faciem & assistunt, & mittenti parent, missionem suam discunt, ut Angelorum superiorum suggestionem vel Divino Oraculo iis opus non sit. Quomodo etiam Angelus ad Zachariam missus ad eundem dixit: *Ego sum Angelus Gabriel, qui adstiti in conspectu Dei, & missus sum, ut ad te loquerer*, Luc. I. 19. Idem igitur & adstitit Deo & ab eodem missus est: tum quia aliàs etiam omnibus discipulis suis, Tito, Timotheo, Marco, Clementi, &c. non soli Dionysio isthac tradidisset, neque illi in scriptis suis unanimiter omnes illa dissimulassent, & protulisset Dionysius solus; tum quia ad quintum usque seculum, quo demum Dionysius sua scripsit altissimum apud Sacros Scriptores omnes, illos etiam, qui de Angelis fusè & consultò agunt, Irenæum, Origenem, Augustinum, &c. de ordinibus hinc Angelicis silentium fuit.

XXXIII. Officium bonorum Angelorum in eo consistit, quod à Deo liberè emittuntur propter electorum salutem, cuius hæreditas illis promissa est, Heb. I. 14. Præstant autem id πολυποικίλως indicando voluntatem Dei, suggerendo bonas cogitationes, Diabolo, Angelis ejus, & omnibus fidelium hostibus resistendo, & cum iis bella quasi gerendo, Messia adventum & statum Ecclesiæ varium mandante Deo, revelatione, fideles ipsos custodiendo, manibus suis, ne uspiam impingant, gestando, iis ubique auxiliando, consolationum fomenta iis suggerendo, eos præmonendo, noxas tum ab omnibus, tum ab infirmioribus inprimis, velut infantibus, simplicibus incautis avertendo, mala leniendo, perterritos confirmando, à communionem malorum & scandalis liberando, iter facientes comitando, mortuorum animas in Cœlum deportando. Quæ omnia similia exemplis sacris in Scriptura passim comprehensis testatissima, ampliori declaratione haud indigent. Inprimis cum Gentiles etiam Poetæ & Philosophi Angelicam istam hominum curam agnoverint. Nam etiam Orpheus ἄγγελοι, inquit, οἱσι μέγας, θεοῖς ὡς πάντα ἰδένται Angeli, quibus maxima hominum cura mandata est. Similia ex Hesiodo Plutarchus, Deotima Plato referunt.

XXXIV. Variat tamen nonnihil isthac officiorum œconomia, pro diversitate œconomiae Ecclesiæ ipsius. Quod S. Paulus innuere videtur, dicens: *Non subiecit Deus orbem habitabilem futurum Angelis*, Heb. II. 5. Habitabilem futurum opponit præterito illi, sub quo sermo legis per Angelos dictus est, v. 2. qui est Ecclesia V.T. sub lege, utpote quæ in terra Canaan existens subiecta fuit sermoni legis illius, qui dictus est per Angelos, & εἰς διατάγας Ἀγγέλων ad dispositiones & ordinationes Angelorum Gal. III. 19.

Act. VII. 53. hoc est, disponentibus & ordinantibus Angelis tum pronuntiatus, tum eorundem curæ, custodiæ à Deo singulariter demandatus est. Ei igitur oppositus orbis habitabilis futurus (quem Hebræi ארץ חיים sicut illum ארץ חיים appellarunt) est Ecclesia N.T. ex Judæis & Gentilibus non amplius sub lege ab Angelis pronuntiata & vindicata, sed sub Evangelio, seu sermone salutis illius, quæ primò prædicari cæpta est per Dominum, v. 3. qui μέλλον futurus dicitur, quia status veteris commutationem cum novo abolitis veteribus illis, quæ proximè ἀφαισµὸν abolitionem esse Apostolus Cap. VIII. 13. dicit, adeoque nondum factò plenè abolita innuit, expectabant. Licet enim Christus ex mortuis resurgens, & in orbem habitabilem iterum introductus, Cap. I. 6. habitabilem illum novum dedicaverit, atque ita cuncta nova facta sint, 2. Cor. V. 16. 17. tamen lex, seu sermo per Angelos dictus non simul semelque exspiravit, sed adhuc dum auditus est, & ἐνεργεῖτο in opere factò usque ad excidium Templi, executionem habuit. Hinc diversitas œconomiae Angelicæ sub V. & N. T. colliquefcit. Ibi enim Ecclesiæ cum ἐπισταγῇ imperio quodam (sicut Apostolus orbi habitabili priori ὑποταγῇ subjectionem tacitè tribuit) & dominio quoad actus religionis imperatos, præerant, ut Legis observantiam urgerent, & ejus sanctitatem & ἀποστολίαν tuerentur. Unde etiam Christus exinanitus ὁ ἡγεµὼν Dñs inferior factus, Psal. VIII. 6. hoc est, ἡλαττωµένος παρ' Ἀγγέλων minor factus Angelis βραχυῖ ἢ ad breve tempus, Heb. II. 7. dicitur. Hinc crebræ illæ Angelorum apparitiones visibiles, quarum plenæ sacre pagine sunt. Hic, Christo soli Ecclesiam sibi immediatè subijcianti, æquè ac reliquæ creaturæ omnes parent, ministrant, ceu σύνδουλοι conservi fidelium, Apoc. XIX. 10. XXII. 9. ad quorum societatem per admirabilem illam ἀνανεπαλάττωσιν in Christo (Ephes. I. 10. 22. III. 9. 10. admitti sunt. Unde in Ecclesia N.T. postquam Evangelium confirmatum est, visibile eorundem Ministerium serè cessat, quia Christo Angelorum Domino, in Ecclesia viso, & à gentibus credito; Spiritu S. luculentissime effuso, & pædagogia legali expirante, œconomis ejusmodi opus non est. Nihilominus invisibiliter inter nos versantur, & fideli ministerio suo salutis nostræ assidue cooperantes invigilant. Unde etiam διατὰς Ἀγγέλων propter Angelos, ceu nobis in Ecclesia & domi præsentibus, mulier potestatem in capite habere jubetur, 1. Cor. XI. 10. Ad hoc enim creati sunt, ut opus Dei in Ecclesia videant, eiq; inserviant, ad multiplicandam laudem Dei, Job. XXXVIII. 7. Psal. XCI. 11. 1. Tim. V. 21. Heb. I. 14.

XXXV. Neque tamen eorum nobis opinio adlubescit, quibus videtur, singulis hominibus Angelum custodem à Deo attributum esse. Quam à Platonici, Censorino ita explicante, statuentibus, Genium esse Deum, cuius in tutela, quemque ut natus est, vivere; quem etiam Arianus in Epictetum lib. I. 14. Angelum ἐπιτερον præfectum cuius homini appellat, & exemplo genii Socratici graphicè Apulejus depinxit; nec non ex lacunis Judeorum, singulis hominibus genium bonum & malum adversis velut signis depugnantes, destinantium, incauti Patres quidam hauserunt; & Scholastici inprimis pro certa &

Platonice-
rum, Pat-
rum &
Scholastico-
rum de ge-
nii tutela-
ribus singu-
lis homini-
bus à
Deo præ-
fectis opinio-
refellit.

Liberè à
Deo ad sa-
lutem fide-
lium emic-
tuntur.

Variant
nihilomi-
nus œcono-
mia officio-
rum iis im-
positorum
pro varie-
tate œcono-
miæ Eccle-
siæ ipsius.

creditu necessaria arripuerunt, ut ei superstruerent fictum illud Angelorum ministerium, quo eos preces & oblationes hominum Deo offerre, atque eo etiam nomine religiosè invocandos esse, pertendunt. Ne dicam, aliis etiam opinionem hanc visam opportunam esse magicæ curiositati, qua scilicet homines *περίεργοι* ab Angelo paredro, seu spiritu familiari arcana quævis perdiscerent. Quæ dogmatis illius crypsis est, saltem apud eos, qui illud mordicus propugnant. Non possunt equidem isthæc opinioni illi solida demonstratione superstrui; uti nec Patres nonnulli & Theologi orthodoxi, Zanehius, Alstedius, Vossius, quibus opinio eadem arrisit, ea superstruunt. Nihilominus authoribus suis tutius relinquitur, quia loca ex Scripturis producta ejus confirmationem solidam nullam habent, neque *ἀναστροφῆς* evincunt, ita sensisse illos, qui loquentes, licet non *θεοπνεύτως* inducuntur. Nam *Angeli* quidem *parvulorum* semper videre faciem Dei Patris sui in Cælis, Matth. XVIII. 10. dicuntur; at singulis parvulis singulos Angelos datos esse, non sequitur. Possunt enim pro Dei arbitrio, & unus Angelus parvulorum multorum, & plures Angeli parvuli unius curam gerere. Neque Judæi fideles, Petro pulsante dicentes: *Ἄγγελος αὐτῆς ἐστίν, Angelus ejus est*, Act. XII. 15. in verbis hisce Angelum custodem & tutelarem Petro, & singulis hominibus datum esse existimasse censendi sunt. Potuerunt enim intelligere vel Angelum, hoc est, nuntium aliquem à Petro ex carcere missum; quomodo Luc. VII. 24. *Angeli Johannis* nuntios à Johanne missos significant: vel Angelum Dei extra ordinem ad Ecclesiæ pro Petro assiduam precessionem ibid. v. 5. missum ab eodem Petri liberandi causâ; cujusmodi liberationem ex carcere per Angelum jam ante Cap. V. 19. experti cum fuerint, non potuerunt non animo suo præcipere, & precibus à Deo contendere. Certè S. Petrus ipse ibid. XII. 11. professus: *Nunc verè novi, Dominum Angelum suum misisse, & liberasse me ex manu Herodis*; satis innuit, nullum se Angelum tutelarem ordinarium sibi datum agnoscere: Quid enim aliàs extraordinaria Angeli missione opus fuerat? Quin à S. Petro *Angelum*, munere impleto, digressum Lucas V. 10. memorat. Præterea nec si aliter Judæi fideles opinati essent, opinio illorum, authenticè narrata licet, authentica pariter agnosci deberet. Scriptura enim plures Angelos indefinitè circa pios etiam singulos excubare docet. *Angelis suis mandabit* *ἵνα* *de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, Psal. XCI. 11. Vidit minister Elisæi, quod mons ille plenus erat equis & curribus igneis circa Elisæum, 2. Reg. VI. 17. *Angeli mendicum mortuum in sinum Abrahami deportarunt*, Luc. XVI. 22. Si *Legio demoniorum* unum hominem obsidet, ibid. VIII. 30. cur absurdum videbitur, plures uni homini Angelos assistere? Neque parùm beatitudini Angelorum cœlestium officeret, si non tantum impiorum etiam, quod illi statuunt, custodiæ & ministerio deputarentur, sed etiam hominum passibus & fortune perpetuò affixi in mundo, velut extorres à Cœlo, oberrare, & nascentibus novi semper destinari necesse haberent. Satis esse piis in quocunque periculo debet, quod se invictissimis cœlestis militiæ copiis septos & circumvallatos,

in ipsius Dei propugnaculo, & omnipotentis umbra confidere, quiescere, pernoctare persuasissimi esse possunt. *Ne formida; plures enim sunt nobiscum, quàm cum hostibus*, 1. Reg. VI. 16.

XXXVI. Ad *ὡσεὶ φισμένους* *μύθους* pertinent, quæ iidem Scholastici, & ex iis Becanus de Angelis certis totius mundi, Ecclesiæ & singulorum Regnorum ac Provinciarum rectoribus temerè effutunt. Nam primò toti mundo præesse septem Angelos, Michaellem, Gabrielem, Raphaellem, Urielem, Salatielem, Jebudielem, & Barachielem sciunt. Quis verò ejus rei testis canonicus? Et qualis illa gubernatio sit, sociæ, an divisæ, & si divisa est, à quo & quando divisio instituta sit; & quis hanc vel illam partem gubernet; si sociæ, quæ singulorum partes sint, explicare non possunt. Authores sententiæ hujus sunt non Prophetæ & Apostoli, sed teste Epiphanio, Basilides & Saturninus, quin & Rabbin, fingentes, singulas diei horas totidem Angelis, septem hebdomadæ dies septem Angelis commissos esse. Quin & Zacharias Kapa in Romano Concilio septenarium illum Angelorum numerum confixit eo argumento; quod tria duntaxat Angelorum nomina bonis, reliqua demonibus conveniant. Secundò Ecclesiæ universæ præesse unum Michaellem asserunt; *ἄρχαγγέλων*. Nam Ecclesiæ non unius Angeli patrocinio commendata est, sed plurium, qui ad salutem fidelium procurandam mittuntur. Et Michael ille, cujus in V. T. Dan. X. 13. in Novo Judæ vers. 9. mentio fit, non creatus Angelus, sed Christus est. Vocatur enim *ἡ princeps* populi Israelis, Dan. X. 21. *ἡ princeps ille magnus*, (hoc est, maximus seu caput omnis principatus Col. II. 10. *Rex regum, & Dominus dominorum*, Apoc. XIX. 17.) *stans pro filiis populi Dei*, hoc est, pro iplis, seu Mediator intercedit, pro iplis pugnat, cum iplis facit, Dan. XII. 1. *Ἀρχάγγελος*, Archangelus, seu Princeps Angelorum, sicuti reliqui Angeli vocantur *ἄγγελοι αὐτῆς Angeli ejus*, Apoc. XII. 7. cum Angeli non alterius sint, quàm Dei, Christi, quem adorant. Neque alius potest esse Michael, quàm is Angelus Jehovæ, coram quo stetit Josua, filius Jozadaci, & Jehova appellatur, & Sathanæ dicit: *Increpet Jehova te, Sathan*, Zach. III. 2. coll. cum Jud. v. 9. Ipsa vox *מִכָּאֵל Michael*, hoc est, *Quis sicut Deus?* Deum admirabilem sonat.

XXXVII. Tertiò Angelos certos certis Regnis & Provinciis præfectos asserunt; nullo pariter teste, nulla ratione idonea, sola forte auctoritate Platonis & exemplo Romanorum, ex urbibus, quas oppugnarunt, Deum Deamque, cujus in tutela illa esset, solemniter ad se evocantium, freti. Quando verò & à quo illa Regnorum & Provinciarum inter Angelos rectores distributio facta est? Et quid facient Angeli Regnis præfecti, cum ipsi Reges & populi infestis signis concurrunt? An ipsi quoque ad tuenda Regna sua quique hostiliter conflictantur? Id certè de Angelis bonis cogitare absurdum est. Neque isthoc dogma probant verba Mosis: *Cum hereditatem distribueret Altissimus, statuebat terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*, Deut. XXXII. 8. Ubi pro verbis *למספר בני ישראל secundum numerum filiorum Israel*, Græci legunt, *κατὰ ἀριθμὸν Ἀγγέλων Θεοῦ secundum numerum Angelorum Dei*, quæ lectio discre-

Angeli certi præfecti non sunt toti mundo, Ecclesiæ.

Et certis Imperiis eorumque rectoribus.

discrepat à fonte, & sensum nullum fundit. An enim quot populi fuerunt vel in terra Canaan, vel in universo orbe tot præcisè Angeli fuerunt? Sensus igitur est, Deum integras gentes in terra Canaan plantasse, quæ deinde à posteritate duodecim filiorum Israel excinderentur, & locum suum cederent illis in tantam multitudinem augendis, ut nulla una tanta natio sub Sole esset. Neque etiam ille שר מלכות פרו *Princeps Regni Persarum* stans adversus virum, qui ibi ad Danielem loquens inducitur, & Michaeli, viro illi auxilianti oppositus, Dan. X. 13. Angelus bonus Persiæ rector fuit (quomodo enim spiritus bonus est, qui adversus virum ibi apparentem & Michaeli contraria molitur;) vel per שר *Princeps Javan* seu Græciæ ibid. v. 20. Angelus bonus Græciæ rector: sed uterque potius Angelus Diaboli fuit, qui Persarum & Græcorum Reges adversus populum Dei concitavit, quibus Spiritus Dei unâ cum Michaeli auxiliatore Christo, sese opponens, populum Dei fortiter protexit. Neque tanti esse debet vel Pseudo - Dionysius Areopagita, vel Pseudo - Clemens Romanus, cujus Recognitionū librum *gurgitem mendaciorum* Baronius appellat, ut propter eorum auctoritatem insulsum dogma amplectendum putemus.

Ac multo
minus cor-
poribus co-
lestibus.

XXXVIII. Est quoque alienum ab officio Angelorum commentum, quod ex *Aristotelis* imprimis paludibus derivatum, à Rabbini & Basilidianis veteribus avidè exceptum, *Scholasticis*, imò & Patribus, aliisque arrisit, quod ab iis coelestes orbes impellantur, & in gyrum rotentur. Eò etiam non ita pridem Philosophus pervenit, ut assereret, Angelos illos motores cum Coelestibus corporibus hypostaticè uniri, & propter illam unionem Coelestia corpora vera animalia, ad imaginem Dei condita, & non intellectu tantum, sed etiam justitia & sanctitate prædita esse. quæ deliria suprà etiam profligare cœpimus. Paulus certè in tertium usque cœlum raptus ibi ἀόρατα vidit & audivit. Sed nuspiam ille Angelos Cœlorum motores, nedum Cœlos justitia & sanctitate præditos testatus est, quod ipsum tamen inter τὰ ἀόρατα non fuisset. Neque verò Angelos facere ergastularia mancipia, molis trusatilibus alligata, vel Ixionas, globo suo, velut glebæ addictos licet. Quid vanius quàm asininum istum laborem nobilissimis creaturis tribuere? Inprimis eum S. Scriptura de sola Divina ἐφοδισία & gubernatione quotidiana motus Coelestium corporum Job. XXXVIII. 31. Psal. XIX. 6. Matth. V. 45. perspicuè adeò loquatur.

Cultum An-
gelis bonis
fideles de-
bent, amoris, reverentia & societatis.

XXXIX. Angelis bonis fideles reverentiam, cultum dilectionis & societatis debent. Sunt enim nuntii Dei ad eos missi, salutis eorum procuranda gratia; sunt testes sancti, per nos in omni verecundia & timore ambulantes exhilarandi, non per effroenes cupiditates, lascivos sermones, ebrietatem, luxuriam, superbiam, procacitatem fugandi. Dico vobis, quod majus gaudium Angelorum sit super uno peccatore resipiscente, quàm super nonaginta novem justis, Luc. XV. 7. 10. Mulier potestatem in capite habere debet propter Angelos, præsentis & actionum nostrarum spectatores & arbitros, 1. Cor. XI. 10. Obtestor te in conspectu Dei & Domini nostri Jesu Christi, & electorum Angelorum, ut hæc custodias sine præjudicio, 1. Tim. V. 21. Si hominis mortalis, cujus spectata dignitas est, præsentia à soc-

dis sermonibus & factis cohibet, quantò magis potentissimorum, justissimorum, sanctissimorum, castissimorum illorum spirituum invisibilis præsentia nos ab omni dictorum, factorum, gestuum turpitudine detertere, avocare debet? Pertinet huc rectus & orthodoxus de Angelis sensus, ne illis plus vel minus, quàm S. Literæ docent, tribuamus, & curiositatem nostram in scrutandis eorum rebus, quas S. Scriptura nuspiam revelavit, impiè pascamus. Sed & Angelis pias cogitationes inspirantibus, præcepta & documenta religionis ex Dei verbo infigentibus & instillantibus parendum sanctè est, non propter ipsos, sed propter Deum cujus verbum ferunt. Imitandi quin etiam, ceu spiritus purissimi & sanctissimi ita sunt, ut in terra Dei voluntatem faciamus, sicut illi in Cœlo eandem faciunt, Matth. V. 1. 10. Vitamque adeò Angelicam sanctam, non Diabolicam traducamus, eò quippe aspirantes, ut ἰωάννηλοι *Angelis bonis similes* quandoque evadamus, Matth. XXII. 30. Luc. XX. 36. Denique vetus quidem Ecclesia Angelis subiecta fuit: at habitabilis præfens, seu Ecclesia N. T. iisdem non subjicitur. quod Theologo Anglo *Davenantio* perperam visum est. Licet enim, quod ille urget, tutores & custodes nostri sint, tamen non domini (*unus enim nobis Dominus est Jesus Christus*, 1. Cor. VIII. 6.) sed συνέδαιοi *conservi* nostri sunt, colendi utiq; , uti scitè S. Augustinus loqui amat, *charitate non servitute*.

Ac non reli-
giosum
adoratio-
nis, invocatio-
nis, &c.

XL. Ita verò Angelorum præsentia & auctoritas reverenda est, ut tamen religioso aliquo actu colenda non sit. Non enim adorandi, invocandi, vel religiosè colendi sunt: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, Deut. VI. 13. X. 12. Quæ etiam Angelo impuro religiosum honorem à se stipulanti Christus Matth. IV. 10. opposuit; pro verbo Moysi δούλω *servies* usurpans consultò λατρεύσεις, ut ita constet, nec δαλείαν, nec λατρείαν iis competere. Promiscuè enim verbo δούλω Græci etiam interpretes δαλείαν & λατρείαν reddunt. Discrimen verò induxerunt homines idololatriæ suæ fucandæ, quod ipsum tamen in praxi à plerisque ignoratur, & ab omnibus negligitur; Ac nec credamus summum, non summo minorem seu subalternum creaturarum cultum ibi vetari, illud obstat, quod Sathanas adorationem à Christo flagitans non summus, sed subalternus Deus haberi voluit; confessus quippe sibi, à Deo scilicet summo Regna tradita esse, Luc. IV. 5. 6. Sed præcepti Divini interpretes Patriarchæ, Prophetæ & Israelitæ, nunquam Angelis creatis, creberrimè licet sibi apparentibus, religiosum honorem vendicarunt. Quin & Apostoli non obscure Ἀγέλοθρησκείαν condemnarunt. Ne quis brabeo vos defraudet volens in humilitate ὁ θρησκεία τῶν Ἀγγέλων *cultu Angelorum*, Col. II. 18. Sive verbis hisce S. Paulus Platonicos, geniorum suorum cultores, Simonem Magum, uti Bellarminus contendit, sive Cerinthum, uti Baronius, sive Angelicos nescio quos, non iccirco non pulsavit quosvis alios, simili Ἀγέλοθρησκεία defungentes. Totum enim cultus Angelici genus damnatur, & damnantur qui θελώντες *volentes* & prætextu humilitatis, quasi non nisi per Mediatores ejusmodi aditus pateat, & ἀμὴ ἐμμελῶς *invadentes seu immergentes se in ea, quæ non viderunt*; eos colunt, quod hodierni Angelolatæ

Idolatræ inprimis faciunt. qui & sine mandato adeoque; *volentes humilitatis* obtentu, & multa de eorum ministerio, ordinibus, visione Dei, meritis eorum confingendo Angelos colunt; atque sic in ea, *quæ non viderunt* sese temerè immergendo, & *sensu carnis turgescendo*, & *caput, Christum, non tenendo*, sed spurium substituendo, quæ totidem Angelolatrarum stigmata sunt. Qui etiam ex Angelis Deos alienos adeoque *idola* faciunt, illis tribuentes quod Dei & Christi est, gratiam mediationis, saltem quoad intercessionem, quæ sine *λυσις* & unitate voluntatis Dei & Mediatoris efficax nulla est, nec non scrutationem cordium. Accedit ipsorum Angelorum autoritas, qui in religiosum eorum cultum gestientes severè cohibuerunt. *Proci di ad pedes ejus Angeli, ut eum adorarem. Et dixit mihi: ὁρα μή. Vide sis ne hoc facias. Conservus tuus sum & fratrum tuorum, &c. Deum adora.* Apoc. XIX. 10. *Proci di ad pedes Angeli, qui mihi hæc indicavit. Et dixit mihi. Vide sis ne. Conservus tuus sum, &c. Deum adora,* cap. XXII. 8. 9. Cum ergo Angeli *conservi*, non Domini nostri sint, quæ *δουλεία* servitus iis à nobis debetur? Certè ita sophismatum præficus Angelus distinctionem *λατρείας* & *δουλείας* palam elisit. Et S. Paulus Heb. II. 16. ostendit, si fideles Angelis subjecti, & eorum, seu dominorum suorum servi essent, oportuisse, ut Christus Angelos assumeret, quod in eorum natura iis dominari posset. Atqui *semen Abrahami assumpsit*, Et Col. II. 15. docet, Christum *exuisse principatus*. Ita planè Angeli non domini, principes nostri, sed *conservi*, adeoque nec religiosè colendi sunt; quia *conservis* servitus, & adoratio non debetur. Qui enim *testimonium Jesu habent*, non servi, sed liberi illi sunt; quia *spiritus Prophetiæ testimonium Jesu est*, Apoc. XIX. 10. adeoque Spiritus, qui per Prophetas locutus est, Jesum unicum Dominum omnium, ipsorum etiam Angelorum, & *copulatorem omnium, quæ in Cælo & in terra sunt*, Ephes. I. 10. testatus est. Ne porro putemus, S. Johannem errasse in persona, putantem videlicet, Deum vel Christum esse, quicum loquebatur, obstat non tantum, quod ipse Apoc. XXII. 8. eum vocat Angelum, sed illud etiam, quod non tantum Angelus dixit, se *conservum* esse; sed etiam addidit: *Deum adora.* quo non errorem personæ, sed adorationis, qua *conservus* adoratur, indicavit. Unde adamante fixa manet argumentatio: *Qui conservus noster est, adorari à nobis non debet. Angeli conservi nostri sunt. Ergo à nobis adorari non debent.* Quæ causa est, quod maturè satis Ecclesia in Concilio Laodiceno Can. 35. cavit, quod non oporteat Christianos relicta Ecclesia Dei abire, & *Ἀγγέλους ὀνομάζεν Angelos* (non angulos, uti nequiter Binnius aliquæ Latinam vocem, insuper habita Græca, corrumperunt) *nominare*; quin & anathema dixit iis, qui *τῇ κρυπτῇ εἰδωλολατρείᾳ χολάζουσι*, *occulta huic idololatriæ vacant.* Ubi illos feriri, qui in Phrygia & Pisidia Oratoriis S. Michaeli erectis, Angelos, seu Legis Mosæicæ, quam illi retinebant, ministros, religiosè coli præceperunt, intelligi, S. Theodoretus, qui statim post Concilium illud claruit, in cap. II. Coloss. testatur, ne quicquam eo nomine à Baronio reprehensus. Nam ante Theodoretum etiam Origenes *contra Cels.* lib. III. eos, qui *Ἀγγέλους καλεῖ Angelos vo-*

cant seu *invocant.* Et Irenæus *adv. hæres.* lib. II. 57. invocationes Angelicas graviter increpant, eo etiam argumento, quod, uti Irenæus loquitur, *mundè, purè, manifestè orationes omnes dirigendæ sint ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini nostri Jesu Christi.* Emphaticè S. Augustinus *de vera Relig.* cap. 55. *Honoramus, inquit, Angelos charitate, non servitute. Nec eis Tempia construimus. Nolunt enim sic se honorari à nobis, quia nos ipsos, cum boni simus, Tempia summi Dei esse noverunt.* Deinceps proprium Diabolorum esse, querere se adorari & coli demonstrat.

XLII. Maturè nihilominus *Ἀγγέλο θρησκεία* in Ecclesiam Christianam introducta est; Patriarchis Philosophis & Judæis. Platonici enim genios suos tutelares religiosè coluerunt, & sacra iisdem facere consueverunt. Judæi quoque argumento Josuæ Angelum ipsi apparentem adorantis, Jos. V. 14. collegerunt, fas esse adorare Angelum, non per se, sed *quatenus est legatus Dei*, uti R. Moses lib. *de fundam. leg.* loquitur. Hinc error ille, Sathanæ altu Ecclesiæ obtrusus, & tanquam *παράφυσος* & struma quædam ei adnatus est, obstetricantibus Simone Maggo & Cerintho; à quibus hæresis *Simonianorum*, seu *Angelicorum*, Angelos colentium, Epiphanio & Augustino memorata, pullulavit. Quam idololatriam Pontificii, palam Angelos, seu rectores mundi, Ecclesiæ, Sanctorum singulorum, nec non Mediatores apud Deum adorantes, invocantes, Templis, imaginibus etiam sacris juxta decretum Concilii Nicæni I. in quo Dialogus auctore Johanne Thessalonicensi conscriptus, quod *Angeli, seu corporei depingi etiam possint*, prælectus est; honorantes adoptarunt. Quibus etiam lenocinatur *Smalcus* Socinianus, asserens, inter Angelos certos esse dignitatum gradus, alios enim tantum Angelos, alios etiam Angelorum dominos, gubernatores & reges esse, quibus fideles V. T. religiosum adorationis cultum legitimè impertiverint, quem tamen in N. T. iis competere negant; succenturiato in Angelorum locum Christo, qui, creatura licet, eodem exemplo licitè nunc adoretur.

XLIII. Frivolæ verò veterum & novorum *Angelicorum*, quibus *Ἀγγέλο θρησκείαν* hanc suffulcire conantur, rationes sunt. Angeli enim illi, coram quibus se Abrahamus Genes. XVIII. 2. *prostravit*, vel Deus triunus, uti plerumque veteres censent, & saltem de eo, qui digredientibus duobus apud Abrahamum mansit, ex v. 17. 20. 22. 25. ubi & *κύριος Dominus*, & *judex totius terræ* appellatur, liquet, fuerunt, atque sic religioso cultu meritò Abraham eos prosecutus est: vel Angeli creati fuerunt, quod de duobus saltem Sodomam tendentibus nonnullis verisimile est; atque ita honor, quem iis, seu excellentissimis creaturis, Abraham habuit, non religiosus, sed civilis, seu moralis reverentiæ fuit. Quanquam ne quidem eos, cum coram iis se prostravit, Angelos, vel Deum ipsum esse, rescivit, non loturus aliàs iis pedes, vel cibos paraturus. Unde ex intentione ejus honorem merè civilem, hospitibus viris habitum fuisse, satis constat. Alia ratio fuit, postquam eum, quo cum solo collocutus est, Angelum magni consilii, adeoque Jehovah esse, cognovit. Sed & Angelus ille, cui Lothus supplex factus est, ut servaret oppidulum, ad quod se recipere paraverat, ille ipse est, qui ad eum

*Historia
Ἀγγέλο-
θρησκείας in
Ecclesiam
introductæ.*

Angelolatrarum argumentis occurrunt.

eum dixit: Exaudiui te, ut nolim evertere oppidulum illud: Festina; nihil enim facere possum, donec tu illuc venias; quique adeo Sodomam & Gomorrhā evertit, ibid. XIX. 20. 21. 22. At qui Sodomam evertit, Jehova fuit. Pluit enim Dominus super Sodomam & Gomorrhā sulphur & ignem à Domino è Cælis, & subvertit civitates illas. v. 24. 25. Neque alium quàm Deum intelligere potuit Lothus, dicens ad Angelum v. 19. juxta Vulgatæ Versionis textum; Magnificasti gloriam, & misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam. Ab eodem Angelo, Dei Filio, Jacobus petiit benedictionem his verbis: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi, ibid. XXXII. 26. Qui etiam בֵּרַךְ benedixit ei. Unde etiam Jacobo, cum Angelo illo luctanti, nomen ישראל Israel, quia Angelus ille אל Deus fuit: & loco pugnae nomen פְּנוּאֵל Penuel, quia ibi אל Deum à facie ad faciem vidit, v. 28. 29. 30. hæsit. Ideo Hof. XII. 3. de Jacobo dicitur: שְׂרָה אֶת אֱלֹהִים prevailuit Deo, non Angelo, quod ex Genes. XXXII. 28. peti- tum. Neque alius Angelus ille fuit, quem Jacobus super nepotibus suis, ibid. XLVIII. 16. ita invocavit: Angelus ille הַנּוֹאֵל אֹתִי מִכָּל רָע qui vindicavit (ceu vindex sanguinis mei) me ab omni malo, benedicat pueris istis. Angelus enim creatus nec הַנּוֹאֵל vindex sanguinis hominis est, quia non ejusdem naturæ: nec vindex ab omni malo, adeoque etiam peccato & maledictione legis: nec benedicit ea benedictione, quam Jacobus imploraverat. Neque alium Angelum intelli- gere potuit, quàm cum, qui ei post luctam be- nedixit, & אל Deus ipse ἀντιπροσείδης fuit. Quod etiam Athanasius, Cyrillus, alii jam olim Arianis objecerunt. Sed & Josua virum illum, quem contra se stantem vidit, & his verbis interpella- vit: Pro nobis, an pro adversariis nostris stas? non prius humi prostratus adoravit, quàm ex eo au- divit יהוה Ego sum princeps exercitus Jehovæ, Jos. V. 13. 14. quem non Angelum crea- tum sed increatum fuisse, liquet, tum quia locus, in quo apparuit קֹדֶשׁ sanctitas fuit, ob quam Jo- sua calceamentum de pede suo tollere iussus est, v. 15. (confer Exod. III. 5.) tum quia Jos. VI. 2. יהוה Jehova disertè appellatur. Eliphazus ve- rò dicens ad Jobum cap. V. 1: Clama & vide, an sit, qui respondeat tibi: & ad quem מְקֹדֶשׁ est san- ctis convertes te; Sanctos homines in terra, an Angelos, an utrosque intellexerit, perinde est. Invocandos verò esse utrosque, vel alterutros, consequens non est. Hoc enim Eliphaz sibi vo- luit, eum, qui Deum infestum habet, omnes etiam sanctos infestos habere: nec quicquam profuturum, si à quoquam eorum opem flagi- taverit: quia illi non ad se, sed ad creatorem & sanctificatorem suum omnes confugere volunt, jubent. Certè, inquit Eliphaz v. 8. ego require- rem (converterem me ad) Deum, & ad Deum ponerem eloquium meum, qui facit maxima, & non est investigatio, &c. Ita Eliphazus manifestè Ἀγίστοθρησκείαν non confirmat, sed, si paulum attendamus, jugulat & confodit. Neque etiam vel vocare est invocare: vel converti ad aliquem, adorare. Denique nec quia crebrò Angeli ap- paruerunt, ideo vel Tempia in eorum honorem extrui, vel imaginibus representari possunt. Nil enim tale in V. T. ubi potissimum & cum pote- state quadam, apparuerunt, factum est. Nos

igitur S. Augustino lib. I. contra Maxim. agenti, fore ut anathematizemur à sancta Dei Ecclesia & veritate, si Angelicæ excellentiæ alicubi Tempia fe- cerimus, subscribimus.

XLIII. Hactenus de Angelis bonis. Iis oppositi Mali variis in Scriptura nominibus ve- niunt. vocantur enim מַלְאָכִים Deut. XXXII. 17. Psal. CVI. 37. quod Rabbini à מַלְאָכִים vastare red- dunt מַלְאָכִים מַלְאָכִים, πονηροὺς, λυμνημένους. Etiam שַׁרְיָרִים birci, Levit. XVII. 7. Esaj. XIII. 21. appellantur, quia haud rarò hircorum specie ap- parentes hominibus illudunt. Notum enim est, Gentilitatem coluisse Panas, Faunos, Satyros hircipeds. quia sub ea specie impuri spiritus apparere sineverunt. Hac forma eum apparuisse Anthonio Eremitæ, Pauli Thebæi specum per desertam investiganti, Hieronymus prodidit. Sed & שָׂטָן Sathanis nomine, Job. 1. 6. Zach. III. 1. 2. vocatur, insignis aliquis demon, vel collectivè omnes, hoc est, ἀντίδωρος adversarius, 1. Pet. V. 8. Διάβολος & ἀντιπρόσωπος uti Syrus reddit, calumnia- tor, ἀντιπρόσωπος, accusator tum fratrum apud Deum, Apoc. XII. 10. Job. I. 9. II. 5. tum Dei apud homi- nes, Genes. III. 4. 5. tum hominum apud homi- nes, quos calumniis & maledicentia sua com- mittit. Quod Cadmus fecisse perhibetur, ser- pentinos dentes in humum spargens, unde ena- tas esse armatas acies se invicem mutuis vulne- ribus conficientes, Poëtæ finxerunt. Sed & לִוְיָתָן Leviathan, serpens impetuosus, tortuosus, nec non דְּרָקוֹן Draco qui est in mari, Esaj. XXXVII. 36. οὐ δράκων μέγας Draco ille magnus, serpens anti- quus, Apoc. XII. 9. Nam exuviis serpentis tectus Evam & totum genus humanum perdidit. Un- de & ipsi & semini ejus, serpentum progeniei hæc nomina hæserunt. Præcipuum ei nomen est בַּעַל זְבוּל Baal-Zebul, quo ἀρχὴν τῶν δαιμονίων Princeps Demoniorum, Matth. XII. 24. venit, quasi dicas Dominum idololatriæ. Nam inter pro- brosa nomina, quæ idolis Hebræi indiderunt, בַּעַל זְבוּל stercus, stercorarium. quam ἐνομαδιστίαν ex Thalmudicis Ligtfootus. Hor. Thalmud. in Matth. XII. 24. probat. Ubi tamen illud displi- cet, quod lectionem βελζεβὺς Beelzebub ibid. X. 25. sollicitare videtur: cum tamen cum Reg. I. v. 2. ubi Deus Accaronitarum בַּעַל זְבוּל hoc est, μύσκαρος muscarum exceptator, appellatur, probè conveniat. Præterea alia Principis tenebrarum nomina, cuiusmodi sunt בְּלִיַּעַל Belial, effrenis ju- gum excutens, παράνομος, 2. Cor. VI. 15. à quo pallim homines nebulones בְּנֵי בְלִיַּעַל filii Belial, Deut. XXXII. 13. Jud. XIX. 22. &c. dicuntur: πονηρός malus, nequam, Matth. VI. 13. οὐ πονηρὸς tentator, ibid. IV. 3. Princeps hujus sæculi, Joh. XII. v. 31. ob imperii tyrannici in mundo usurpationem: Deus hujus sæculi, 2. Cor. IV. 4. ob ementi- tam Deitatem: πνεῦμα ἀκαθάρτον spiritus impurus, Matth. X. 1. Abaddon & Ἀπολλύων corruptens & perdens omnia, Apoc. IX. 11. Ille porro הַלֵּל בֶּן שָׁחַר Lucifer filius auroræ, Esaj. XIV. 12. non tam Diabolus, quàm à Diabolo agitata Rex, Christi in terris vices mentitus, commentitius ille Phosphorus, diluculi filius est. Verus Φωσφόρος Lucifer, 2. Pet. I. 19. & stella splendida & matutina, Apoc. XXII. 16. ipse Christus est, cujus vices Antichristus mentitur.

XLIV. Nomina illa, frequentiora in primis, qualia sunt Sathane, Diaboli, Abaddonis, non perfo-

Angelo-
rum malo-
rum nomi-
na.

Quæ non personarum individuarum, sed officiorum & personarum singularium, sed officiorum vel qualitatum nomina esse, nequicquam Hobbesius & Sadducaei veteres & novi statuunt.

personarum individuarum, sed officiorum & qualitatum esse, nequicquam Hobbesius; cui Dæmones nil nisi tristes naniæ sunt; contendit. Licet enim nomen Sathanae etiam Petro Matth. XVI. 23. & nomen Diaboli Judæ Joh. VI. v. 70. accommodetur, proprium tamen malorum spirituum, vel personarum individuarum esse non definit. Nam Petrus Sathanae, & Judas Diaboli nomine veniunt, quia ille à malo spiritu seductus Christo adversabatur: hic ceu semen serpentis, & patris Diaboli filius, malitiæ paternæ gustum spiravit. De Abaddone verò disertè dicitur. *Ὁνομα αὐτοῦ Ἑβραϊστὶ Ἀβδδὼν, καὶ ἐν τῇ Ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει Ἀπολλών, Hebraicè Abaddon, & in Græca (lingua) Apollyon, Apoc. IX. v. 11.* Primariò ergo designantur personæ malorum spirituum cum suis qualitibus: Secundariò homines qualitatum earundem participes. Ita nomen *ἁγγέλων* Angelis & hominibus tributum licet, proprium tamen nomen eidem *πρωτοῖς* competens esse non cessat. Cumque officia & qualitates extra subiecta sua vagari non possint, necesse est, subiecto cuiuspiam insint. Non inesse autem primò hominibus, vel animabus hominum sceleratorum, quas in Dæmones converti etiam Tertullianistæ olim nugati sunt, satis liquet, quia malignitas per serpentem prodita, per quam Eva seducta est, homini nondum malo, ac multò minùs serpenti, qui ejus subiectum non erat, inesse non potuit. Personæ igitur mali spiritus inesse debuit. Quomodo insuper Sathanas Judam intrare, cor Ananiæ replere potuit, si adversantis & criminantis qualitas ipsi Judæ & Ananiæ, ceu subiecto suo primario inhæsit? Quomodo spiritus impurus ex homine exire, & transire per loca arida (Matth. XII. 43.) potuit, si dæmoniæ mera qualitas fuit? Quomodo tentator Christum circumducere, si persona ab eo distincta non fuit, potuit? Nam tentatorem illum Spiritum S. fuisse impiè Hobbesius asserit; & longè aliud conflictus ille Christi cum eodem, & verba Christi, *ὑπάγε Σατάνᾳ ἀπάγεθις Sathan*, nec non negatus eidem à Christo adorationis honor (Matth. IV. 10.) arguit. Neque etiam mera hæc visio fuit: & si fuit, non fuit rei nupiam in rerum natura extantis. Denique qui in Scriptura spiritus immundi inducuntur, longè superiores hominibus ipsis describuntur. *Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus, contra potestates, contra potentes mundi tenebrarum seculi hujus, & spiritualia nequitie in Cœlestibus, Ephes. VI. 12.*

Mali non à Deo creati, sed sua culpa facti mali sunt. Nam qui *ἐν τῇ ἀληθείᾳ, iā sed sua culpa facti sunt, non retinendo initium, & domicilium proprium relinquentes.* XLV. Dæmones non creati à Deo, sed sum veritate non stetit, Joh. VIII. 44. is in veritate, agnitionis puta & sanctitatis, adeoque imaginis Dei prius creatus fuerit oportet. Nam quòd ibidem homicida fuisse dicitur *ἀπ' ἀρχῆς* à principio, non eum sensum habet, quòd talis creatus sit, vel, quòd Scholastici nonnulli, Augustinus, Eugubinus, & alii pertendunt, post primum creationis instans, & quidem necessariò peccaverint. Exstitit enim ante hominem, adeoque homicida creari non potuit. Neque etiam homo statim conditus sub imperio Sathanae & mortis fuit: Quin & necesse fuit, moram intercedere inter eorum creationem & defectiōnem, quæ actio fuit, ne, si prima eorum actio vi-

vitiosa statuatur, vitium creatori imputari posset. Initium igitur primum mundi tempus cum quadam latitudine, non ipsum creationis primordium significat. Qui principium suum non retinuerunt, & proprium domicilium suum dereliquerunt, quod de malis Angelis Judas v. 6. dixit, illi in principio alium, quàm nunc habent, statum, adeoque bonum habuerint, & in Cœlo, Sanctorum domicilio, in quod impuri non veniunt, prius fuerint oportet. Licet enim in Cœlo, ceu domo aliena, quandoque apparere dicantur, quatenus Deo, carnificis instar, ministrare, de actibus suis respondere coguntur, & suis accusationibus sanctos impetunt; ex quo etiam, quando accusatio legis cessat, Ecclesia propter Christum justificatur, & gentes illuminantur, causa suâ cadentes, & velut à Divino tribunali deturbati, *πρὸς τὴν γῆν* cadere Luc. X. 18. & in terram dejici, Apoc. XII. 8. 9. dicuntur: tamen relicto semel domicilio illo, is in illud, ceu *ἰδιον οἰκήριον* proprium domicilium, reditus nullus amplius patet. Forte etiam Cœlum illud, quod Sathan cum filiis Dei subisse Job. I. 6. II. 1. dicitur, non Cœlum summum, sed æereum fuit, in quo filiis Dei è Cœlo descendentibus occurrere potuit. Ibi enim constitui Thronus Dei, communiter Angelis bonis & malis accessibilis potest, ubi Diaboli ascensus sistitur, ut ei ultra eniti non detur: quia Deus etiam in nubibus contignat cœnacula sua, & densas nubes in vehiculum suum disponit, Psal. CIV. 3. quin & in nubibus ultimum judicium peragetur, Luc. XXI. 27. Denique in quotidiana executione judiciorum solii Dei in nubibus mentio est, Apoc. XIV. 14.

XLVI. Peccatum primum & *παράρρησις* ἡς γνώμης Angelorum qualis fuerit, Scriptura non definit. Fuerit igitur superbia & Divinitatis affectatio, an invidia, qua mortem in mundum Apocryphus Sapientie liber cap. II. 24. invecam dicit: An mendacium, quod ex Joh. VIII. 44. nonnulli colligunt: an singularis legis alicujus Divinæ contemptus & violatio: an remissio vel minor attentio circa contemplationem Dei, quod Molinæo visum, pro certo non liquet. Illud constat, non fuisse libidinem, cujus se reos fecerunt *ἁγγέλοι* *ἱεραὶ* filii Dei, non Angeli utique, sed Sethitæ, Genes. VI. 2. uti quidem Patres plerique decepti à Codicibus quibusdam Græcis, in quibus pro filiis Dei *ἁγγέλοι* *Θεοὶ* Angeli Dei substituti sunt; statuerunt, quasi Angeli vel corpori sint, & generare possint, quod de suis illis Angelis damni & mortis etiam Judæi somniant; vel tanto post hominem intervallo lapsi sint. Verisimilius illud est, quòd fuerit superbia & Divinitatis affectatio, quæ oriri potuit ex coespitatione circa veritatem mysterii Patris & Filii; quam hodièque oderunt & persequuntur, id tum cum natura eorum spiritali: tum cum genio, quem lapsi iam retinent, & in seductione ad idololatriam & magiam, in qua Dii haberi velunt; produnt: tum cum peccato illo, ad quod Evam, superbiam ei propinando, seduxit: tum cum verbis S. Pauli, 1. Tim. III. 6. ubi neophytum *τυφωθέντα τυφῷ* inflatum incidere in *κρίμα* diaboli, seu crimen, ob quod is iudicatus est, dicitur; utcunque congruit. Unde etiam Psal. VIII. 3. *ἡ δόξα σου* vindex sui dicitur, quia in primis querit gloriam suam, & ruinam suam omnibus damnis Regni Dei exæquare studet.

Peccatum eorum quale fuerit, disceptatur.

Et forte non ipsi Dii fieri, sed dignitatis & potestatis suæ nimia exultatione, uti eorundem instinctu Narcissus, & omnes ἀνδάνεις, se ipsos depereunt, stupentes, Dei instar, aliis imperare, legibus latis, & νόμοις exleges ipsi contenderunt. Qui ἀπαρχὸς Θεότητος, quidam Divinitatis raptus fuisset. Neque adeo invidia, sed superbia præcellisse videtur, quia, uti S. Augustinus lib. II. de Genes. ad lit. loquitur, invidia sequitur superbiam, non præcedit. Non enim causa superbiendi est invidentia, sed causa invidendi superbia. Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quoad ei coæquantur: vel superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiam porro & invidiam suam maturè exercere potuit, quod videns opus Dei fundantis terram, futurum hospitium hominis, superbè illud contempsit, neque in eo Deo servire voluit. Nam cum Deus terram fundasset, filii Dei jubilarunt, Job. XXXVIII. 4. 7. Sed tum forte pars Angelorum, cui opus illud displicuit, non jubilavit, neque Deum laudavit. In quo cognoscimus Diabolum homicidam ab initio, Joh. VIII. 44. Non placuit enim ei homini animali, qui & mutari, & salvari nihilominus posset, servire; sed superbia, invidia, ira concitus homicida ab initio fuit. Cui non obstat, quod sexto die contemplatus opera sua Deus ea valde bona esse pronuntiavit, quia de inferiori & aspectabili potissimum mundo hæc dicta videntur.

Peccasse videntur auctore uno & coryphæo.

XLVII. Peccarunt Angeli auctore & coryphæo quopiam uno. qui inde κατ' ἐξοχὴν Diabolus, Sathan, Draco magnus, Belial, Malis, Beelzebul, Princeps Demoniorum insignitur. Certè Christus ipse Joh. VIII. 44. de peccato Diaboli loquens tanquam de uno Diabolo, seu insignitæ improbitatis Angelo, loquitur. Fieri enim potuit, ut volentes, libentes uni, cuius conspectior sapientia fuit, ceteri se submitterent, & ejus exemplo ac imperio ad rebellionem & exitium omnes corruerent: Quanquam etiam post peccatum Deus illos vel invitos in Diaboli unius servitutem tradere potuit, ut imperata ejus pessima facere subigantur. Certè inter eos est conspiratio ad constituendum Regnum, Matth. XII. 26. in quo quidam imperantis & parentium, saltem cum ordine quodam, & quorundam πειθαρχουμένων consentientium constructio esse solet. Perperam tamen nonnulli, coryphæum illum ante lapsum caput Angelorum fuisse, sicut Christus caput & Rex fidelium est, ex Esaj. XIV. 12. colligunt. Non enim Lucifer ibi memoratus malorum Angelorum caput designat. Uti nec ille כרוב ממשל Cherub, unctio protegentis, Ezech. XXVIII. 14. Diabolus est, sed ille potius, qui vice Christi inter Cherubinos, seu rector Ecclesiæ, se habitare simulat.

Numerus eorum maximus, non tamen temerè definiendus, vel juxta ordines distinguendus est.

XLVIII. Lapsum Angelorum maximus numerus est. Constituunt enim Regnum, Matth. XII. 26. in quo Legiones sunt, Luc. VIII. 30. Qui proin nullibi non sunt, & singulos homines perterritant, atque ita, ut subinde unum etiam hominem Legio integra occupet. Ad calculos verò eosdem velle reducere, & Damones vel instituto censu ad certas classes redigere, quod tum veteres nonnulli, numerum Angelorum lapsum numero electorum adæquant: tum Cornelius Agrippa novem eorundem ordines, puta Demonum, spirituum, mendaciorum, vasorum ini-

quitatis, ultorum scelerum, præstigiatorum, aëreorum potestatum, Furiarum, criminantium & tentantium temerè architectatus, tum Scholastici imprimis ex cauda Draconis rufi, tertiam partem stellarum Cæli trabentis, & in terram proturbantis Apoc. XII. 4. rationem ineuntes faciunt, jejuna & Platonice potius speculationis, quam Christianæ adificationis est. Plures ex iis, quam conducant, hostes humanum genus circumstant, & infestum exercitumque habent.

XLIX. Liberum Angelis fuit, abstinere peccato, priusquam illud perpetrarunt. At eo semel perpetrato peccandi necessitatem inevitabilem, & spirituales mortes sibi consciverunt: sicut contra Angeli boni perseverantes, sibi sanctitatem indeclinabilem conciliarunt. A quo enim quis devictus est, illi in servitutem addictus est, 2. Petr. II. 19. Proin voluntate & libertate, quam amiserunt, ex miserrima servitute illa se extricare non possunt. Illa enim, uti præclare S. Augustinus de Lib. Arb. lib. III. 18. loquitur, peccati poena justissima est ut amittat unusquisque, quo bene uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire, quod rectum non sit: & qui rectè facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit. Cum semel creatura à Deo avertitur, & ad creaturam, ejusque delectationem convertitur, ita in ista aversione & conversione voluntas ejus obrigescit, ut sine Divina ope ad Deum eluctari non detur. Non quod natura sua sint inflexibiles, uti Thomas, & Cajetanus censent, vel quia carnis commixtione non impediti robustius stare poterint, uti Gregorius M. Moral. lib. IX. 28. conjectavit; sed quia Deus justus scelerum vindex non gratiam peccatori non satisfaciendi imperat, vel imaginem conturbatam restituit, sed poenam dictat. Atqui nec Angeli satisfacere, & poenam peccati, quæ infinita & æterna est, persolvere possunt: nec est, qui illorum loco satisfacere velit. Christus enim non Angelos, sed semen Abraham assumpsit, Heb. II. 16. Ideo Deus, cujus φιλανθρωπία amor hominis etiam peccatoris, at non φιλανγελία amor Angeli lapsi laudatur; Angelis peccatoribus non pepercit, neque adeo iis peccatum condonavit, 2. Pet. II. 4. Placuit enim Deo sicut in hominibus lapsis suæ χρηστότης & benignitatis, ita in Angelis peccatoribus ἀποστολίας severitatis suæ gloriam hoc modo illustrare. Tametsi verò sic peccatum Angelorum ἀπολύτως fuit, non tamen propriè peccatum in Spiritum S. fuit: uti Cl. Molina visum, quia, cum peccatum illud committatur adversus veritatem Evangelii cognitam, & per Spiritum S. intus persuasam, Evangelium hæc dum hominibus datum fuit, Angelis verò omnino datum non est.

Statu eorum immutabilis, & peccatum irremissibile, non in Spiritum S. est.

L. Ita Angeli proprium domicilium latissimum utique, & immensa luce ac gloria coruscans, Cælum tertium reliquerunt, imò ex eo deturbati sunt. Sunt enim illa Ἄλ' Ἀτὲ, Noxa, quam Homerus ab irato Jove capillitio arreptam, & de cælo in terram deturbatam dixit. Ex Cælo deturbati in horridam Tartari custodiam conjecti, & vinculis ac catenis tenebrarum æternis ligati, ad judicium diei magne sub caligine servantur, 2. Pet. II. 4. Jud. v. 6. Quæ allegoricè dicta eum sensum habent, quod Deus Angelis peccatoribus ex Cælo deturbatis, & à facie sua ablegatis sanctificationem & lætitiā, in luce seu

Ex Cælo ejecti ubicunque sunt, in Tartaro sunt, & judicium ultimum expectant.

cognitione sua, qua gaudentes in Cœlo sunt, in perpetuum negaverit, ut jam, ubicunque sint, in inferno, & quandoque etiam in inferni illius abyſſo Luc. VIII. 31. sint, & βασιμον cruciatum ibid. v. 28. experiantur, neque ex illa miseria, nempe amore mendacii & injustitiæ, quin & odio Dei & hominum, furore adversus utroſque, & dolore acerbissimo, quo inprimis per incrementa Regni Christi cruciantur, eluctari nullo modo possint, donec in die Judicii pœnæ eorum consummabuntur, per supplicium æterni ignis, Matth. XXV. 41. & sulphuris, ignisque stagni, Apoc. XX. 10. 14. Et ignis igitur iis paratus æternus; & δεσμοὶ αἰδίοι, vincula (quibus ligantur sub illa caligine) æterna Jud. v. 6. erunt. Ideo sententia Dei in serpentem tentatorem ejusmodi fertur: *Maledictus tu præ omni animali terræ*, Gen. III. 14. Animalia enim omnia *ἀλλοτρίων καὶ φθορᾶν ad captivam & corruptionem nata sunt*, 2. Pet. II. 12. Sed serpens, præ animali terræ maledictus declaratur, & miser futurus, & sine fine. Perperam ergo supplicium hoc cessaturum quandoque, & certa annorum revolutione ad suum principium illos redituros Origenes & ejus asseclæ statuerunt.

Ignis æterni
iisdem desti-
nati natu-
ra horri-
magis,
quàm ex-
plicari po-
teſt.

LI. Hanc verò ignis æterni naturam & cruciatus rationem facilius rectiusque horremus, quàm explicamus. Sive ergo ut corporibus alligantur animæ humanæ; ita corporeis ignibus mancipantur dæmones, non dantes ignibus vitam, sed ab iis sentientes βασανισμὸν cruciatum: sive spiritualibus tantum flammis flagisque torquentur: sive alius supplicii modus est, quem Deus novit, & ipsi quaſitissimo cum sensu experientur, contendendum nobis illud potius est, ut similem pœnam effugiamus, non negligentes, sed amplectentes tantam salutem per Christum partam, Heb. II. 3. quàm ut eam curiosè scrutemur. Scholastici sanè, quantumvis variis excogitatis modis, suam heic ἀντιπαρῶν haud obſcurè produnt, dum alter alterius placita refigit, ut sua figat; omnes tandem in luxandis & convellendis alienis, quàm firmandis & statuminandis opinionibus suis feliciores sunt.

Residuam
nihilomi-
nus rerum
notitiam
non contem-
nendam ha-
bent.

LII. Tametsi verò tenebris hisce & tartaro damnati, & ab omni cum sapientia, sanctitate & gloria Dei communione in æternum remoti, stultiæ contra, malitiæ, impuritati, & miseriæ ineluctabili mancipati à Deo sunt: tamen & intelligentiam & potestatem quandam, Deo volente, retinuerunt, ut judiciis & consiliis Divinis promptius inservirent. Amiserunt equidem, quicquid lucis & cognitionis ex communione cum Deo, & visione ejusdem hauriri potest. Et quamvis in Cœlo quandoque inter reliquos Angelos coram Deo compareant, tamen Deum non vident, quia oculis, quibus Deus videri posset, destituuntur. Mansit tamen in iis cognitio nonnulla naturalis, quippe naturæ eorum φύσις, & quàm sine natura exuere non possunt. sic tamen, ut ejus ἐνέργεια, quoties Deo visum, velut obtusa acie hebescat. Cognitione verò supernaturalis theoretica admodum in iis obſcurata est, propter odium, quo eam prosequitur; practica verò, cum amore Dei & spe salutis conjuncta, penitus evanuit. *Dæmonia credunt, Deum unum esse, & contremiscunt*, Jac. II. 19. *Quid nobis tecum Jezu Nazarene? Venisti nos per-*

dere. *Novi quis sis, Sanctus ille Dei*, Marc. I. 24. Habent tamen cognitionem quampiam empiricam, quàm iis perennis vita, sacrorum vaticiniorum intelligentia, perniciosissimus ille in obeundis omnibus mundi partibus motus; summa in scrutandis negotiis, quorum serè minus ἀρχὴ νοῖα & sagacitas temperamentorum & ἀκρίβεια impetuum, quibus singuli subsunt, notitia, astrorum contemplatio, aliæque ejusmodi peperere. Quandoque etiam Deus extra ordinem singularia quædam, quorum exequendorum eos ministros esse voluit, iis revelat.

LIII. Inprimis non cogitationes hominum immediate; vel quacunque alia ratione absolute omnes, quando & quaslibet, ac ne impiorum quidem, noverunt. Hoc enim solius Dei πανταρχία καὶ ἀνεξαρτησία, non Angelorum ipsorum lucis, nedum tenebrionum est. Omnes certè Magi, astrologi & præstigiatores Chaldæi, Diaboli mancipia, uho ore facti sunt, se somnium & secretum Regis Nebucadnezaris pandere non posse. *Verbum, inquit, quod Rex postulat, grave est, nec aliud est, qui indicet coram Rege, præter Deum, cujus habitatio non est cum carne*, Dan. II. 11. Respondit Daniel coram Rege & edixit: *Secretum, quod interrogat Rex, nequaquam sapientes, astrologi, genethliaci, divinatores Regi indicare possunt. Profecto est Deus in Cœlo, qui revelat secreta, & notum fecit Regi, quid futurum sit in novissimo dierum*. ibid. v. 27. 28. Licet ergo quandoque cogitationum vestigia legere, & intus ebullientes illarum æstus ex impressione phantasmatum in phantasiâ explorare, quin & conjecturis ex iis, quæ homo loquitur & facit, ex effectu & passionum indicis, eventibus aliisque ducti multa de interiore hominis intentione, ceu militiæ hujus veterani assequi possint; non tamen eos semper id posse, vel ipsum illud Regis somnium quod sine alta phantasmatum in phantasiâ ejus impressione tantopere Regis animum turbare non potuisset; demonstrat. Ac multò minus Dei cogitationes, & ab iisdem suspensa futura contingentia certò cognoscunt. *Quis novit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo novit, nisi Spiritus Dei*, 1. Cor. II. 11. *Annuntiate futura, ut sciamus vos esse Deos*, Esaj. XLII. 3. Futura contingentia sunt, quæ non ἐνέργεια operatione, sed δύναμις potentia sola in sua causa, eaque indefinita & ἀόριστος sunt. Qualia Deus ἐν ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ in propria potestate posuit, non damnati carnificis conscientia, vel potestati subjecit, Act. I. 7.

LIV. Neque Diaboli χερσὶν oracula & μαγικὰ Divinatio, seu rerum futurarum præsentio quædam, per quæ ille, Divinitatem affectans, diu gentes seduxit, obstant. Licet enim nec Aristoteli, divinationes omnes humori melancholico hominum tribuenti: nec Plutarcho causam earum in vapore terrestri à Sole educto, inq; corpus humanum bene temperatum recepto, mentemque humanam concitante, constituent: nec aliis, divinationes omnes humanis fraudibus acceptas referentibus, fides habenda sit, cum quædam authorem non vel naturam, vel patriciam, & sacerdotalem fraudem, sed ipsum Diabolum habeant, teste vel ipsa S. pagina, quæ in historia Saulis Pythonissæ seu Πυθίᾳ mulieris Pythonem habentis, & ex eodem divinantis,

Quæ tamen
ad cogita-
tiones Dei
vel homi-
num, & fu-
tura ab iis
pendentia
se neuti-
quam ex-
sistent.

Nonobstan-
tibus ejus-
modi O-
racles &
divinatio-
nibus quæ-
rum vani-
tas ostendi-
tur.

1. Sam. XXVIII. 7. &c. meminit: tamen divinationes ipsæ præscientiam dæmonis exactam non arguunt. Quicquid enim Empiricus & *ידידיו* Sciolus ille potius, quàm verè præcius, divinavit, illud omne *vel furatum eum esse ex occultis Prophetarum, vel velocitate occupasse indicium rerum longinquarum, vel ex causis naturalibus præsignificasse, quæ fierent, vel ambiguitate vaticinia ingeniosè temperasse*, jam olim verissimè Tertullianus admonuit. Addi potest, revelasse illum plura etiam, quorum exequendorum potestatem à Deo accepit: & oracula plurima fictitia esse, ut de iis, quæ Chrysippus unum in volumen congessit, Cicero *de Divinat. lib. II. 56.* probavit, *exemplis grandioribus utendum fuisse* pronuntians. Videri etiam, quæ ex Oenomaio Gentili Philosopho, Apollinis, tanquam insignis impostoris oracula refutante, Eusebius *Præpar. Evang. lib. V. 19. 20.* collegit, possunt. Et satis diabolicarum divinationum fides apud eum nutabit, qui cum Divinis eas contenderit. Hæ enim primæ & antiquissimæ sunt, fraudis omnis expertes, proditiæ iis temporibus, quibus Vates ipsi vixerunt, Divinæ sapientiæ & perfectionis gloriam palam spirantes, certo canoni vaticiniorum Mosis innixæ, eventu clarissimæ, de rebus merè & verè contingentibus, quæ nec in natura, nec in sagacitate ingenii notionem habuerunt; de rebus gravissimis, Salvatore & iustitia peccatoris, Regni Christi constantia, & terrestrium fluxa conditione, via ad virtutem solidam & Cælum ipsum, quæ etiam à principio inde suo deductæ hucusq; durarunt, in conspectu mundi totius, & ad novissima usque durabunt. Illæ omnia alia spirarunt. Nam Divinis posteriores, haud rarò ex iis corruptis natæ sunt. Nec fraudum suspicione carent, quia Diabolus vates suos ex vetustissimis Patriarchis, aliisque etiam; velut Oraculum Jovis Ammonii in Africa ex Chamo; Dodonaum in Epiro ex Dodanim Japheti filio; Apollinem ex Jubale, &c. sculpsit. quin & Cælo, ex cuius positu vates ejus divinarent, eam faciem tribuit, quam nunquam habuit. Porro etiam falsatas & suppositas à Chrysippo plures, veluti illam Cræso apud Herodotum, & Pyrrho apud Ennium perhibitam, Cicero queritur. Nihil dicam de divinationibus *ἀμφιβολόγοις*, quales *flexiloquæ* & *obscuræ* Apollini idem Cicero imputat, cum hoc improprio: *Utrum eorum accidisset, verum oraculum fuisset.* Nec non: *Interpres eorum interprete alio opus habuit.* Planè enim opus fuit verbis obscuris & perplexis, quò oracula malè intellecta crederentur, si eventus non responderet. Præterea divinationes illæ parum à prudentum & sagacium virorum morbos, tempestates, mutationes imperiorum obnuntiantium præfagiis distabant; confusæ nullique certo canoni & principio, ad cuius amissum exigi possent, innixæ; rarò quin etiam eventum liquidum sortitæ sunt, & si sortitæ quandoque sunt, casu, qui veritatem perfectè nunquam imitatur, sortitæ sunt. Sapienter Cicero *de Divinat. lib. I. 13.* Quatuor, inquit, *tali jacti casu venerem efficiunt.* Non etiam *centum veneres, si quadringentos talos ejeceris, casu futuros putas?* Adpersa temerè pigmenta in tabula, oris lineamenta effingere possunt; num etiam Veneris Cnidie Coæque pulchritudinem effingi posse aspersione fortuita putas? *Sus rostro si humi A. lie-*

ram impresserit, num propterea suspicari poteris, Andromacham Enni ab eo describi posse? Denique Regno Christi revelato, Diaboli oracula ubique conticuerunt, & si sonori & loquaces Diaboli antehac fuerunt, in seriphias, quod ajunt, ranas conversi sunt. Apollinis certè oraculum apud Porphyrium legitur, quo ait, ceteros Deos æreos esse spiritus, colendum autem esse unum Hebræorum Deum. Quæ divinationum dæmoniacarum vanitatem affatim produnt.

LV. Habet nihilominus Sathanas etiam *βάθυ* profunditates, *μεθοδείας* stratagemata, & *νοήματα* cogitationes profundas, quibus in perniciem hominum grassatur. Vobis dico, & reliquis *Thyatirensibus, qui non habent hanc doctrinam, & qui non norunt profunditates Sathane*, Apoc. II. 24. quæ miræ & tortuosæ ratiocinationum strophæ & concatenationes sunt; ex quibus non facile simplices se extricaverint; & quas nemo melius explicare & publicare possit, quàm is, cui aliquando cum Sathana & ejus organis non umbratilis contentio fuit, ut cum S. Paulo dicere possit: *Ὁ δὲ ἀντὶ τὰ νοήματα ἀγνοῦμεν* Non enim ejus cogitationes ignoramus, 2. Cor. II. 11. Diaboli enim cogitationes & *μεθοδείας* stratagemata, Ephes. VI. 11. sive *βίβας* *μεθοδὸς* vias devias, non aggeratas, vel munitas, Jer. XVIII. 15. quibus ad apostasiam seducit Ephes. IV. 14. maximè cum in Angelum lucis se transformat, 2. Cor. XI. 15 & sub specie veri & boni falsum & malum propinat; verbo, *πνευμαλισμὸς τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπικρατέσις* spiritualia nequitie in supercælestibus, Ephes. VI. 12. cui pernoscere datum est, veteranus in hac militia meritò habetur. Verissimè autem Tertullianus *lib. de testim. anima* dixit, solos Sathanam nosse Christianos, quos solos, dum histrioniam versutus ille facit, haud facile decipere potis est.

LVI. Vis porrò, qua in agendo Diabolus pollet, magna ipsi tum à natura, tum à voluntate Dei superat. Vult enim Deus eo subinde judiciorum suorum executore & ministro uti, sive puniendi sunt infideles, sive castigandi fideles. Unde etiam Chrysippus Plutarcho *Quæst. Rom. suorum instrumento* narrante, dixit, Deos malis genis uti *καλαστικὸς ἐπὶ τῶν ἀνομίῶν καὶ ἀδίκῶν ἀνδρῶν* *πρὸς* loco carnificum in puniendis flagitiosis & impiis hominibus. Licet nempe Sanctorum Angelorum multæ myriades Deum circumstent, mavult tamen interdum malorum etiam Angelorum ministerio uti, quia ex malorum & ineptorum instrumentorum usu magis etiam sapientia & potentia Dei elucescit. Quomodo adhibere ignem ut calefacias, res vulgaris est: at uti igne ad frigefaciendum, res ejusmodi est, quæ soli Deo convenit. Cedit id etiam tum ad consolationem fidelium, quibus si mala profunt, multò magis bona proderunt: tum ad laudem fidelium, & gloriam Dei, qui filios suos Sathanæ quidem exercendos tradit, sed in eorum tamen infirmitate potentiam suam perficit, ut fide armati *Sathanam sub pedibus conculcent*, Rom. XVI. 20. 2. Cor. XII. 9. Denique sunt quædam, quibus boni Angeli adhiberi, nisi prius ex bonis mali fierent, non possent. qualia sunt, instigare tyrannos ad persecutiones, inducere in errorem Pseudoprophetas, implere corda piorum malis cogitationibus. Aliter res habet in Regibus, quorum mores ex

Habet nihilominus suas profunditates, cogitationes, & vias.

Potentia ipsi per magna superest, quia operum & judiciorum suorum instrumento & executore illo uti Deus voluit.

ministratorum ingenio æstimari solent, Psal. Cl. 4. &c. 1. Reg. XII. 8. & qui non tantum operam improborum sine dispendio piorum uti non possunt, sed etiam malorum consiliis, quibus limites ponere non possunt, tum corrumpuntur, tum haud raro evertuntur ipsi. Deus contra nunquam bonos negligit, nec malis utens malitia delectatur, nec ab iis corrumpi, vel sine proposito excidere potest: & Diabolorum ministerio limites figit, & malum in bonum vertere, lucem ex tenebris elicere potest.

Regnum
quoddam
& princi-
patum, sed
variè cir-
cumscri-
ptum ha-
bet.

LVII. Hinc adeo *dominatus* quidam & *principatus* malis Angelis tribuitur. Nam ὁ Θεὸς τῶν αἰώνων ἰσχυρὸς ὁ Θεὸς *Deus huius seculi*, 2. Cor. I V. 4. Ἀρχὼν ἡς ἐξουσίας ἡ ἀέρος *Princeps potestatis aëris*, Eph. II. 2. Ἀρχαὶ αἰῶνος ἐξουσίας *Principatus & potestates*, nec non Κοσμοκράτορες ἡ σὰρξ ἡ αἰὼν ὁ κόσμος *Domini seu rectores tenebrarum seculi huius*, ibid. VI. 12. appellantur. Qui principatus & dominatus illorum, quatenus ab illis exercetur, mera *vis* & tyrannis, ad rerum ἀναστάσις & confusionem comparata est. quatenus verò à Deo ordinatus arcana gubernatione ejusdem temperatus, & homini impositus *jus* est. *Voluntas* enim eorum, uti scitè Gregor. M. *Moral. lib. II. 6.* scribit *semper iniqua est, potestas verò nunquam injusta: quia à semetipsis voluntatem habent, sed à Domino potestatem.* Ut ita domini principes, *Deus huius seculi*, *potestates* &c. non ob solam eorum usurpationem, sed Divinam quoque ordinationem, cui dominando volentes nolentes interviunt, & à quo dominationis universæ limites positi sunt, clucant. Nam dominationem suam à Deo esse, ipsemet Diabolus falsus est, dicens. *Potestas hæc ἐμοὶ παραδόσθαι μὴ δέδοται* *mihi data est*, Luc. I V. 6. Et exercitio ejusdem intercedit arcana Dei gubernatio, qua Diabolorum machinationes & molitiones ita in ordinem redigit, ut vel frustra sint adversus pios, quin præter illorum intentionem ad bonum iis cooperentur; vel adversus impios ad justam ex Dei judicio eorum excacationem, indurationem, poenam & torturam valeant. Quod ex historia tum *Magorum Aegyptiorum*, eò tandem impotentia redactorum, ut terræ pulverem in pediculos convertite nescii; מִן הַיָּד הַזֶּה *præsentem digitum Dei*, molimina eorum confundentem, & potentiam coercentem fateri necesse habuerint, Exod. VII. 13. VIII. 19. tum *Jobi*, quem injussu Dei atrectare ausus non est, Job. I. 11. tum *Achabi*, quem sine permissione Dei per Pseudoprophetas suos seducere non potuit, 1. Reg. XXII. 19. 23. tum *porcorum Gadarenorum*, in quos non impetrata à Christo licentia migrare iis non licuit, Marc. V. 12. 13. luculenter cognoscitur. Et docent id ipsum testimonia de Sathana ligato vel soluto, juxta tempus à Deo præfinitum, Apoc. XX. 2. coll. cum Matth. XII. 29. Marc. III. 27. Similis enim iis est, qui ad metalla damnati sunt, quibus in metallis & fodina ignis, aqua, terra serviunt, ut faciant inde, non quod volunt, sed quantum finitur: uti S. Augustinus *de Trinit. lib. III. 3.* comparat. Unde per lapsum potestatem ejus, quippe septis clathrisque Divinitus multifariis circumdatam non mediocriter labefactatam esse intelligitur.

In corpora
caelestia
nulla, in

LVIII. Sed magis etiam Diabolica potestatis coarctatio ex iis, quæ ipsum posse, & quæ non posse ex Scriptura colligere est, colliquescit.

quanquam etiam in iis, quæ potest, à Dei nutu & voluntate totus pendet. Et primò quidem in corpora coelestia nihil ipsi licere videtur. Non enim Deus Cælos movendos, mutandos, agitando subiecit; quorum corpora ex Dei jussione & nutu constantem & inoffensum cursum retinent. Quæ igitur olim per Theffalos, aliosque magos spectantium oculis objecit ludibriis deputanda sunt. S. Paulus verò disertè potestatem & operationes Diaboli limitat ἐξουσία ἡ ἀέρος *potestate aëris*, Eph. II. 2. adeoque regione Cæli superlunari demones excludit. Per *Potestatem* verò illam *aëris* intelligi putamus eam, quam partim in aëra ipsum, partim in animalia, homines inprimis, qui in aëre & terra degunt, exercet. Operationum in aëre specimina fuerunt, ignis de cælo in Jobi greges & servos demissus, Job. I. 16. domus, quæ ruina sua Jobi filios oppressit, ingenti vento disjecta, ibid. v. 19. Tempestas, quam in mari ad vexandos discipulos Christi excitavit, Matth. VIII. 26. Luc. VIII. 25. ubi Christus ventum & fluctus aquæ objurgans, metonymia usitata, eorum motorem & Aëolum, Diabolum ipsum, ob excitatam tempestatem, objurgasse videtur. Atque hæc etiam pars magna est illius δαλείας ἡς φθορᾶς *servitutis corruptionis & vanitatis*, sub qua creatura ingemiscit, Rom. VIII. 20. 21. 22. quod Diaboli illos insultus, & horrendas, quas inducit, mutationes ferre cogitur.

LIX. In animalia, hominem inprimis, in aëre & terra degentia potestatem non miniam, sed nec omnem habet: & quam habet, Divinæ potentia catenis variè constrictam habet. Et corpora quidem humana generare non potest. Ἀθεολογον enim & ἀδολόγον commentum illud Judæorum & Patrum nonnullorum de origine Nephilim præternaturali ex Diabolorum cum filiabus hominum commixtione non semel jam perstrinximus. Neque sanior hypothesis est, qua Diabolus esse instrumentum generationis hominum applicando naturalia agentia passivis, translato furtim per instrumenta à se fabricata, semine fingitur. Quæ doctrina demoniorum, ad vellicandam & convellendam fidem conceptionis & nativitatis Christi ex Virgine præter naturæ legem, inventa est. Neque *incuborum* & *succuborum* experientia; si fidem meretur, dogmati impio patrocinatur. quia nihil obfaret, quod minus per univocam generationem, juxta naturæ legem, ex Energumenis Dæmoniacis homines Dæmoniaci, seu Energumeni nascerentur. Quoad reliqua animalia potest equidem Diabolus, Deo permittente, ad productionem animantium imperfectorum, quæ ex putri materia producuntur; vel ad oviparorum foetus excludendos, activa passivis applicando, ad insectorum metamorphoses singulari agilitate & dexteritate sua, velut obstetricari; sed non sine mora & successione temporis. Nam momento ex materia indispota, & sine ullo naturæ artificio tale quid patrandi potestatem non habet. Neque Pharaonis magi tale quid patrarunt; uti ipsi Exod. VIII. 18. 19. falsi sunt. Animalia enim, quæ producere videbantur, vel animalium simulachra duntaxat fuerunt, vel Diaboli arte & industria aliunde velocissimè asportata sunt.

Animalia
generare
non possunt.

LX. Possunt tamen, Deo permittente, *Potestatem* non

men non
pauca in
illis per mo-
tum loca-
lem.

non pauca in animalia per motum localem. Quomodo Diabolus abusus est serpente ad loquelam cum Eva, Genes. III. 1. &c. fera & venenata animantia ad terrendum & nocendum excitat, eaque incantat modò cum successu, modò sine successu, *obthurante aspide aurem suam ne audiat vocem* *יְהוָה* incantantium, Psal. LVIII. 6. cum Jerem. XVIII. 17. Eccles. X. 11. quod facere eos vel recanendo, seu contrario sibilo incantationem repellendo, vel ad carmina incantatorum obsurdescendo, etiam naturæ consulti memorant. Quò etiam referendum illud, quod ad tentationem Christi à Sathana adnotat Marcus cap. I. 13. Christum fuisse *μολὰ τὸν θένειον* cum feris, ipsum quodammodo, abstinendo à noxa ei inferenda, suspicientibus, & innocentiae ei applaudentibus: quomodo Adamus integer cum iisdem à Deo ad eum adductis in Paradiso fuit: quòdque Christus ad discipulos dixit: *Do vobis potestatem calcandi serpentes & scorpiones*; & *ἐπὶ πάσαν δύναμιν ἢ ἐξ ὧν ἐξεί super omnem vim inimici*, diaboli, illorum opera homini nocentis; & *nihil vos laedet*, Luc. X. 19.

Lycanthro-
pia, seu con-
versionis
corporis
humani in
belluinum
vel belluini
in bellui-
num fig-
mentum
eliditur.

LXI. Fictitiam verò etiam *Lycanthropiam*, seu metamorphosin corporis humani in belluinum, vel belluini unius in belluinum aliud, quam *Bodinus*, *Spondanus*, alii tuentur, putamus. Sine miraculo enim haud minore, quàm cum aquam in vinum Christus mutavit, vel creatione, soli Deo conveniente, succedere non posset. Et multò minùs vel anima humana corpus belluinum, vel belluæ anima humanum, quàm leonis anima corpus equinum informare potest. quia quævis forma, ut suum esse informando tribuat, peculiares sibi que convenientes dispositiones, & organizationem propriam exigit. Ac ne figura quidem corporis externa mutari ita potest, ut humanum corpus belluæ figuram induat, salva manente corporis substantia, quod Cl. *Wolfeshusio* visum est, quia à substantia corporis figura ejusdem inseparabilis est. Neque Nebucanetzaris metamorphosis huc facit. Sive enim verè corpus ejus in belluinum commutatum est, per Dei omnipotentiam, non Diaboli potentiam id contigit: si ve, quod verisimilius, mutatus est, non quoad figuram essentialem corporis humani, sed ejus duntaxat cultum & habitum, nec non accidentia mutabilia alia, quin & rationis usum ipsum, quo à Deo privari potuit ad tempus, nihil uique ad rem facit. Fuerit stupenda hæc metamorphosis verus *Lycanthropismus*, sed à Deo, non Diabolo procuratus: fuerit *Corybantismus*: fuerit morbus melancholicus: id tamen pro certo tenendum, nec hominem reapse in feram fuisse mutatum, & si maximè exterior figura ejusmodi mutationem recepit, nil tale à Sathana. sed à solo Deo præstitum esse. Experientia porrò, quæ testis producit, fallax est, quia præstigiis potius, quàm re ipsa, vel immissa melancholia tristi, & moribus ferinis, vel fallaci circumpositione pellium bestiarum, uti etiam S. Augustinus conjectavit, Sathanas hominibus illudit.

Potestas
Diaboli in
exteriorem
hominem
explicatur

LXII. Sed potior Diaboli vis hominibus incumbit, piis quidem etiam, sed impiis maximè, Divina Providentia frenum eidem laxante. Ac *exteriorem* hominem quod attinet, quanta in eum vi polleat, satis constat tum ex ulceri-

bus pessimis Jobo à planta pedis usque ad verticem capitis ejus inflictis, Job. II. 7. tum ex ligata octodecim annis, ut se erigere non posset, muliere illa, *Abrahami filia* à Christo sanata, Luc. XIII. 11. 16. tum ex colaphis ab eodem S. Paulo impactis, & infixis carni ejus stimulo, 2. Cor. XII. 7. tum ex iterato raptu corporis Christi super pinnas Templi, & in montem valde sublimem, Matth. IV. 5. 8. tum denique ex phreneticis & rabiosis, quos humores mirè ciendo, & rerum in cerebro imagines turbando & miscendo, mente movet & in furorem agit; unde melancholia & insania, quam Medici *Lupinam*, alii per errorem *Lycanthropiam* appellant, oritur, *Energumenis* imprimis, seu à dæmone in corporibus hominum *ἐνεργούντι* operante obsessis & vexatis, quorum non tantum corpora ingreditur, occupat & torquet, cum majore vel minore paroxysmo, vel remissione, Luc. IX. 39. sed etiam facultates naturales auditus, sermonis &c. ligat, Matth. IX. 32. XII. 22. Luc. XI. 14. os & linguam ad sermonem suum mutuatur, Matth. VIII. 29. facultatem locomotivam movet, Marc. IX. 22. Luc. VIII. 27. Ex quorum numero corporaliter obsessi impii, spiritualiter etiam ab eodem obsidentur, tum ad tentationes piis & impiis, sed dispare intentione Dei & eventu, communes, tum ad excæcationem, indurationem & deceptionem, quæ judicio Divino solis impiis immititur, 1. Sam. XVI. 15. 1. Reg. XXII. 19. -- 23. 2. Cor. IV. 4. Ephes. II. 2.

LXIII. Qui *Energumenorum* operationes non dæmoni, sed naturalibus causis, astrorum influxui, & humanis fraudibus tribuunt, næ illi non Scripturæ duntaxat, sed sanæ etiam rationi adversantur, & frivolis nimis ratiociniis ad id inducuntur. Nam qui in iis haud rarò se prodit sermo linguæ antè penitus incognitæ, revelatio rerum sublimium, occultarum, absentium, & simplicium notitiam & captum excedentium; ponderum ingentium vectatio & translatio, & similia, causam habeant oportet. Atqui causam non habent vel naturam, quæ talia non operatur: vel artem & industriam, qualis in energumeno subito oriri non potest: vel humores, atroces & violentos, quos melancholicis, phreneticis, maniacis peregrinarum linguarum usum, & similia extorquere, Levinus Lemnius, Platonio illo & fallaci principio, quòd *mens hominis artibus imbuta sit ante illarum usum, quòdque scire nostrum non aliud sit, quàm reminiscencia*, somniavit, vel Deum vel Angelum bonum, qui sermonum plerunque blasphemorum & impiorum auctores cieri non possunt. Relinquitur igitur, ut causam dæmonem habeant. Ratiocinia verò eorundem stolidia sunt. Anima enim, quod illi urgent, in toto corpore tota quidem est; at non ideo dæmoniis locum præcludit; quia nec anima, nec dæmones corpora localiter occupant & implent, sed spiritali modo, illa unione hypostatica, hi parastatica, in iis existunt. Ita non ideo, quia anima in toto corpore existit, Deum à corpore humano excludat, qui ejus existentiam agnoscit. Neque ita animæ & dæmonum operationes confundi necesse est; quomodo nec Dei & animæ, vel animæ & spirituum vitalium, coexistentium licet, operationes confunduntur. Operari enim dæmon in corpore humano potest, quod animam non posse & ipsa agnoscit

Energumenorum operationes dæmoni acceptæ feruntur.

& alii nullo negotio dijudicare possunt. Aliud porro est in corpore simpliciter operari, quod boni Angeli bonorum custodes etiam faciunt: aliud corpus obsidere, atque ita, Deo permittente, in potestatem illud redigere, ut tum totum, tum singularia ejus organa raptari, ligari, torqueri, in ignem conjici, aliisque horribilibus modis affici appareat. quod malis Angelis convenire potest, bonis non potest. Ac licet demones in animas humanas immediate illabi, easque totas sibi subicere non possint, (quamvis impios ἐκωρμημένους εἰς ἐκείνην δέλημα captivos factos in voluntatem illius (Diaboli) & ab eodem illaqueatos S. Paulus 2. Tim. II. 26. dixerit) non tamen ideo corpora eorum subire & subicere sibi tota non possunt. Quomodo corpora hominum occidere alii etiam possunt: at spiritum solus Deus.

In hominem
interiorem
etiam non-
nulla ejus-
dem pote-
stas est.

LXIV. In hominem interiorem non omnino nulla potestate Diabolus pollet. Agit enim ille seculi hujus Deus in filiis contumaciae, Ephes. II. 2. 2. Cor. IV. 4. Excæcat mentes infidelium, ne irradiet eos lumen Evangelii gloriæ Christi, ibid. Malus ille, qui venit & rapit, quod satum est in corde audientis verbum, Matth. XIII. 19. In Juda cor iniecit, ut Christum proderet, & postquam ille offam accepit, in eum ingressus est, Joh. XIII. 2. 27. Quin & Anania cor implevit, ut mentiretur spiritum S. Act. V. 3. Ubi πληροῦσαι καὶ τὸν καρδίαν cor implere, phrasis est ex Hebraismo petita, qua לב לאא implere cor est audacem reddere ad tentandum aliquid, uti ex Ecclef. VIII. 11. Esther VII. 5. colligitur. Audacia quippe cor replet, & fervidis spiritibus turgidum reddit, qui extorsus erumpentes, membra externa ad occupandum quidvis impellunt. Nihil enim cor spiritibus plenum non audet. Huc facit, quod Saulem tenuisse, 1. Sam. XVI. 14. fuisse spiritus mendacii in ore omnium Prophetarum Achabi, atque ita eum seduxisse, 1. Reg. XXII. 21. 22. quin & Davidem incitasse ad numerandum populum, 1. Paralip. XXI. 1. dicitur. Hæc verò & similia Diabolus operatur non tam immediate in mentem & voluntatem hominis influendo, quam inspirationes suas mediante phantasia perficiendo. quod vel inde colligitur, quia ad potissimas illas Sathanæ inspirationes, à quibus potissimum mundi Deus vocatur, puta ad oracula & vaticinia, quæ olim gentilium vatibus inspiravit, mentis humanæ officium non accessit. Oracula enim illi, mente emota effutiverunt, ignari juxta quid dicerent vel facerent. Proin inspirationes omnes à Diabolo vel fiunt mente ipsa loco mota, in sola phantasia, & corpus sine mentis penetratione afficiunt: vel constant tentatione mentis, per objectas in phantasia erroris vel peccati illecebras, quas mens salutari lumine, judicio & electione propria destituta sequitur. Ut ita seductionis per tentationem Diabolicam ἀποσέλεσθαι sit ab ipsa concupiscentia hominis. Unusquisque tentatur à propria concupiscentia extractus & inescatus, Jac. I. 14.

Ex inspira-
tionibus Sa-
thanae, &
conceptibus
hominis con-
fusus sedu-
ctionis occa-
sionem ma-

LXV. Facile autem hinc contingere potest, ut homo conceptus & inspirationes ejusmodi Sathanæ cum suis conceptibus & cogitationibus confundat. Ex qua quidem confusione & conspiratione propriarum cogitationum cum alienis Sathanæ instinctibus illi humani generis hosti astutissimo mirabilis oppor-

tunitas nascitur hominem mille modis aggrediendi, & μεθοδεύεις suis ejus fidem & constantiam expugnandi. Cum enim humanæ sapientiæ nervus sit, non temerè amplius confidere ei, à quo semel deceptus fueris, multum regula illa, quando cum Diabolo res est, fallit, tum quia consilii, quod suggerit, authorem Diabolum potius, quam se ipsum esse, non ilico suspicatur: tum quia nihil Sathanam impedit, quò minus de iisdem rebus aliud atque aliud suadere conetur. Cum enim & aperto Marte pugnet, ceu leo, & occultas insidias sæpe collocet, ceu draco, ita hæc inter se temperat, ut cum opus est, nec consiliis planè apertis, nec admodum occultis utatur. Quo pacto non raro etiam ipsis fidelibus fraudem à Sathana strui, Christus testatur: quando discipulos suos, Eliæ exemplo, ignem à Cælo Samaritanis imprecantes ita repressit: Nescitis cujus spiritus filii sitis, Luc. IX. 55. quasi diceret: Non cogitatis, studium illud vestrum intempestivum, non decere eos, qui Spiritus Evangelici, nil nisi mansuetudinem spirantis filii esse debent, sed vobis inspirari ab eo, qui ab initio homicida fuit.

LXVI. Mixtum potestatis diabolicæ & corporalis & spiritualis exercitium in Magia est. Olim quidem Magi juris Divini & humani; naturæ quin etiam superioris & inferioris consulti & interpretes fuerunt. Cum verò procedente tempore ad artes nefarias & illicitas converterentur, vox Magi in deteriore sensum accepta, sciolum, divinatorem, astrologum, illicitarum artium sectatorem significare coepit. Nam Græci interpretes vocem μάγαν non tantum ἐπισκοπῶν, sed etiam μάγαν passim reddunt. Et Scriptores etiam N. T. eodem sensu voce Magi utuntur. In historia Nebucadnezaris Dan. II. 2. ἱερεῖς καὶ μάγισσοι καὶ φαρμακοὶ καὶ Χaldeῖοι (ita LXX. reddunt) arioli & magi & malefici & Chaldei (ita V. V. reddit) distinguuntur. Qua verò ratione ἱερεῖς καὶ μάγισσοι ἐπισκοπῶν καὶ μάγαν Græci reddiderint, non satis constat. Exod. VII. 11. ἱερεῖς καὶ μάγισσοι dicuntur, qui eodem versu καὶ ἱερεῖς καὶ μάγισσοι sapientes & magi dicti sunt. Ibi quoque LXX. Interpretes ἐπισκοπῶν reddiderunt. Sed quid tum differant à φαρμακοῖς καὶ μάγισσοις haud illibenter ignoramus. Deus enim nomina Baalim ex terra aboleri voluit, Hos. II. 17. Quid nō etiam nomina variarum artium, quæ nulli usui sunt? Id tamen constat, vocum μάγαν propriè præstigiatorum, non φαρμακῶν veneficorum tantum significare: Nam μάγαν convenit cum μάγαν & μάγαν atque oculos peculiariter respicit. Veluti cum mutatur aliquid naturale ad aspectum oculorum, ut aliud appareat. Unde per metathesin Græcorum & Latinorum vox βασιλεύειν, fascinare ipsummet Hebraicum כַּשַׁף est. quin & simili metathesi auspex, auspiciū, auspicio. Ita nomen כַּשַׁף observante etiam R. Nachmanide, nomen generale est eorum, qui habent, aut venditant societatem cum impuris spiritibus, per quos vel occulta indident, vel opera humanis majora, naturam vel immutando, vel ceu immutatam representando, procurent. Quæ observatio ad intelligētiam legis Divinæ כַּשַׁף לֹא תַחֲזִיק מַכַּשְׁתִּיתִּים non fines vivere, Exod. XXII. 18. momentum habet.

LXVII. Est autem Magia ars hominum Quæ desipula-

ximam nan-
ciscitur.

Mixtum po-
testatis dia-
bolicæ &
corporalis
& spirita-
lis exerci-
tium in ma-
gia est.

nitur, & auctore Sathana exerceri demonstratur.

profanorum & infidelium, Diaboli Divinum bonorem affectantis, & humanum genus sibi subjugare molientis, ope & scdere cum eodem interveniente, mira, hoc est, notitiam & potestatem hominum supergredientia cognoscendi, loquendi & faciendi, quatenus id Divina iustitia & voluntas ad explorandos fideles, suamque in iis virtutem exercendam, & puniendos infideles permittit; temporali & eterno supplicio pianda. Quam dari, nemo inficias iverit, nisi Sadducaismi veneno imbutus, quales fuere Avicenna, Algazel Reginaldus Scotus, Petrus Pomponotus, alique Philosophi Magnetici imaginationis humanæ vim, & magnéticas, siderales ac sympatheticas influentias in operationum Diabolarum locum substituentes. Ne dicam in Papatu non defuisse, Sibylla & Tannero testibus, qui impietatis omnis numeros implentes, operationes Magicas ad Deum, Divina charismata & Angelos bonos referre non vererentur. In Scriptura enim & mentionem & historiam Magorum creberrimam, & eorum detestationem gravem, & leges adversus eosdem severas passim reperire est. Extant etiam in mundo hominum operationes humanis viribus præpollentes, in quibus proinde edendis, cum malæ & Deo oppositæ sint, Diaboli potentioris & mali opem intervenire necesse est. Ille enim & scientia, & potestate agendi magna, Deo velut armante, præditus, continuo cum hominibus versatur, iis perdendis sine fine & modo insidiatur. Denique Divini honoris æmulus, eundem in Magia assidue affectat. Licet enim, quod veteres & novi Sadducei ad ravim usque decantant, multa dicta & opera velut magica ab hominibus *ψευδοδυναμεις* fingantur, & credulitate simpliciorum recipiantur; ac quædam etiam operationes, vel à naturalibus causis, vel à phantasia meticulorum, vel à phreneticorum & melancholicorum deliriis subortæ, magicæ aliquando impietati ab hominibus indoctis, imperiis, malignis deputentur: perperam tamen id omne, & vi magis quam pretio, ad negandam in universum magiam rapitur. Sicut non ideo quia erroris, hæreseos, inducti schismatis crimine homines innocentissimi ab indoctis, invidis, malitiosis quandoque arcessuntur; & phreneticos, energumenos, melancholicos, claudos se simulant, qui non sunt, errorem, hæresin, schisma, phrenesin, melancholiam, energumenos, claudos nullos esse, sequitur. Ita nec ejusmodi figmenta, errores & deceptio circa eos, qui revera magica impietate alligati non sunt, veræ, notoriiis indiciis conspicuæ, & à peritis irrefragabiliter probatæ magicæ præjudicant. Et princeps quidem ille mundi *judicatus est*, Joh. XVI. 11. ut fidelibus saltem nocere, & eos ad exitium pertrahere non possit. Sed non ideo Deus hujus seculi esse & infidelium mentes excacare 2. Cor. IV. 4. eosque ad *φωτισμους* incantationes Apoc. IX. 21. seducere amplius non potest. Damnatu licet damnandorum hominum judicio Dei minister esse potest.

Magia quoque expressa & implicita est; quarum illa prior, hæc communior

LXVIII. Pro pacti duplicis, expressi & taciti, seu impliciti, quo Diabolus *חבר חסדי* consocians consociationem Deut. XVIII. 11. hoc est, scderi suo homines impios implicans, imò Christum ipsum implicare conatus, Matth. IV. 9. homines infelices & malè sanos sibi & amicitia suæ innectere solet, ratione, Magia ipsa quoque alia

expressa & manifesta; tacita & implicita alia est. Illa prævio cum Sathana foedere verbis conceptis & ritibus solennibus sancito & contestato: hæc sine foedere solenni, solo paciscentium consensu, vel qualicumque cum eo collusione, sive à scientibus prudentibusque, sive ab ignavis etiam & profunditates Sathanae non pernoscentibus, exercetur. Proin implicita ita discernenda est, ut alia sit, quæ ab iis, qui non sine Sathanae opera sciri aliquid fierique sive à se sive ab aliis, quos consulunt, probè norunt; alia quæ ab iis, qui ignorant, vel revelationem, vel operationem rei auctore Sathana peragi, confiduntque adeò, à Deo potius, Angelis, hominibus, & natura ipsa, ejusque viribus proficisci; colitur. Qui expressæ Magiæ litent, pauciores sunt, quos ad extremam luæq; similitudinem impietatem & malitiam profectos, certisque etiam ceremoniis, sigillis & chiographis auctoratos Sathanas obsidet, & ceu mancipia sua *υπερτασται* movet, agitat & ad turpissima quæque impellit. Plures verò aperte etiam impii Magiæ implicitæ priori se dedunt, qui non ignari Diabolo auctore edi, quæ ipsi præter Divinam revelationem & naturam scire & operari contendunt, vel alios impiarum artium compertos consulunt, vel ipsi talia suscipiunt, quæ naturæ vires prorsus excedunt, atque Deo auctore & suatore propitio nequitiam contingunt. Qui verò Magiam implicitam posteriorem sectentur, oppidò plurimi sunt. Periculosissimæque adeò in eo Magiæ genere Sathanae fraudes, subinde etiam adversus fideles ipsos, grassari, indubium est. ut si ulli Magiæ Ecclesiæ validè obniti debet, huic & frequentissimæ & periculosissimæ omnium. ob *υπερτασται* Sathanae, qua incautioribus & simplicioribus imminet, validissimè debeat.

LXIX. Magiæ cujusvis, implicitæ in primis cognoscendæ generalis nota est, ut ei operam dare censeantur, quoquoque deserta ea via, quæ in verbo Dei & recta ratione præscripta est, alia via incedunt, aliisque mediis utuntur, adeoque vel scire, vel facere gestiunt id, quod naturæ vires revera superat, & nec in verbo Dei revelatur, nec Divinae *συνεργειας* promissionem in eodem, certaque & explorata *κηληγεια* obinet; ita ut nulla vel naturæ ordinaria, vel Dei extraordinaria operatio ex fide expectari possit, operationisq; omnis vera origo non ad alium, quam ad Diabolum referri possit; licet qui rei illi incumbunt, se cum Sathana commercium ullum habere protestentur serio, persuasique adeò sint, pie liciteque se facere id, cujus vel falsas causas animo concipiunt, vel veras se ignorare ultrò profitentur. Hanc enim veram Magiam & consultationem Diaboli esse, inde liquidò constat, quia media quibus sive ad cognitionem, sive ad effectiorem rerum arduarum ii utuntur, vim, quam præferunt, nec à Deo, nec ab Angelis bonis, nec ab hominibus habent. Non à Deo, qui talia operatur non per naturam, quia virtutem talia efficiendi naturam insitam non habent, neque habere cognosci possunt; nec per gratiam, cujus revelatio & promissio nulla extat; nec per extraordinariam omnipotentiam & virtutem *θαυμάσιον*, cum miraculorum verorum notis *κατασκευαίαι* illæ destituantur. Non ab Angelis bonis, quia nihil illi, nisi ut ministri Dei agunt. Non ab hominibus, quia virtutem, quam ipsi à Deo vel natura non habent,

& periculosior est.

Magiæ implicitæ in primis nota generalis fit.

habent, aliis communicare non possunt. Relinquitur ergo, significationum & operationum, quæ à talibus mediis pendent, authorem non alium esse quam Diabolum, sive id homines nōrint, sive ob naturam peccato nimium corruptam, veritatis & pietatis neglectum vel infirmitatem qualemcunque ignorant.

¹ Et chara-
cteres spe-
ciales con-
stituntur.

LXX. Speciales & populares cognoscendæ Magiæ notas ejusdem conspicui characteres suppeditant. Sunt autem genuini Magiæ characteres, si opus aliquod vel à fide nec naturali, nec supernaturali Divina, vel à sola imaginatione in disjuncta; vel à verbis, carminibus, preculis; vel à figuris & characteribus; vel ab amuletis & periaptis, quæ verbis & characteribus constant; vel à sympathiis & antipathiis non naturalibus, quibus communis omnium hominum experientia non suffragatur, quæ ferè ceremonias, ritus insolitos comites habent; quin & fidem specialem, & imaginationem exaltatam requirunt; vel à numeris, vel à tempore, quæ talibus; vel à fortuitis casibus, seu veris causis, suspendatur: vel occultarum rerum cognitio illegitimè tentetur: vel opus productum naturæ vires superet, vel id etiam, quod non est, appareat. Ubi vel unum ex indiciis his apparuerit, vel plura etiam concurrerint, antiqui serpentis vestigia patent, atque operatio non è Spiritus S. vel naturæ phrontisterio, sed è Dæmonis schola verius deducta censebitur. *Callidus à pueris fugite hinc, latet anguis in herba.*

Sathanas in
Magia se o-
perum Dei
amulum a-
ssuissimè
gerit.

LXXI. Mirè Sathanas, seu Deus hujus sæculi & perpetuus gloriæ Divinæ hostis, in Magia opera Dei exprimit & amulatur, quod sic Deo de arce Regni sui deturbato, ipse solum ejus nefariè occupet, & ad se fauces mundi rapiat. Etenim DEUS verbo creavit secula, vi creavit, quæ non sunt. Sathanas verbo Magico res non existentes vocat, ut existant, efficitque, ut si non existunt, saltem existere videantur. DEUS immediata providentia supra naturæ ordinem quandoque miracula patrat, & religioni veræ fidem facit; vel saltem tentat. Sathanas juratis suis miracula ipse quoque venditat, ut cultum quem ab iis stipulatur, corroboret. DEUS speciali erga electos providentia cum iis fœdus gratiæ inivit, quo iis Christum Salvatorem destinavit, ut qui in eum credunt, salventur. Sathanas fœdus cum suis paciscens se ipsum pro Deo & Salvatore populi sui gerit, & fidem ab eodem exigit. DEUS non fidem qualemcunque, sed *ἀγάπην, καὶ πίστιν*, fortem fiduciam, & firmissimam persuasionem à suis exigit. Sathanas fiduciam fortem, imaginationem exaltatam stipulatur. DEUS fidelibus suis in verbo suo Ecclesiæ fata & mysteria multifaria per Prophetas aperuit & prædixit. Sathanas divinationibus futura & occulta referare, atque ita sibi omniscientiæ gloriam vindicare unice studet. DEUS salutem exterius verbo & Sacramentis offert: Sathanas verbo quopiam singulari, & annexis eidem signis, figuris, characteribus salutem suis spondet, obsignat. DEUS verbum suum Hebraico & Græco idiomate tradidit: Sathanas fallendi causa iisdem idiomatis usus, verba Hebraica & Græca cultui suo creberrimè admisceat. DEUS verbo sanctificat elementa, ut panis corpus, vinum sanguis Christi evadat: Sathanas incantante verbo ipsas rerum naturas mutare & trans-

substantiare annititur. DEUS legem suam manibus, seu memoriale alligari, & super postes domus scribi præcepit: Sathanas periapta, amuleta suis unice commendat. DEUS precationum Spiritum suis impertitur, & earundem formulas certas alicubi præscribit. Sathanas certas precularum formas primis suis cultoribus tradidit, quæ constanter in ejus Synagoga durant. DEUS Sacramenta certo numero tradidit, & numerum quempiam in verbo suo sacra- vit. Impare etiam numero personarum Trinitas constat: Sathanas numeris, etiam imparibus gaudet. DEUS certo tempori, olim diei septimo, & diebus nonnullis festivis, hodie indefinito in verbo suo, at ab Ecclesia definito, cultum suum adstrinxit. Sathanas temporis delectum ejusmodi adhibet, ut huic vel illi majorem per se efficaciam tribuat. Fertur etiam cum clientibus suis Sabbatha colere. DEUS pacis, concordiæ, communioni Sanctorum promissiones eximiorum beneficiorum adjunxit. Sathanas nihil non sympathiis & antipathiis suis tribuit.

LXXII. Lex Divina mortis supplicium Magis decernit. *מכשפה לא תחיה* *Præstigiaticem ne sinas vivere*, Exod. XXII. 18. Qua lege non solas veneficas; quales olim famosæ mulieres Circe Medea, Hecate fuerunt; sed præstigiatices & præstigiatores, Sathanæ fœderatos feriri, ipsa vox *מכשפה* superius explicata, nec non analogia locorum Levit. XX. 27. & Deut. XVIII. 10. 11. ubi Divinatores, ariolatores, Pythonem interrogantes, necromantæ, &c. una cum *מכשפיה* morti addicuntur, evincit. Neque

*Lex Divi-
na, qua
præstigia-
trici sup-
plicium
mortis de-
cernitur,
etiam strig-
es & sagas
modernas
comprehen-
di proba-
tur.*

etiam adversus veneficos alia lege opus erat post communem illam, qua homicidis poena mortis dictatur. Neque audiendus Wierus, Episcopus, alique, ab hac lege nostri temporis lamias & sagas excipientes, eo prætextu, quod Moysi ætate nihil de talibus innotuerit, & pacta, quæ cum Dæmone inivisse putantur, non vera sed imaginaria sint, Diabolo vetulis melancholico morbo laborantibus ita insidiante & illudente, ut, maligni humoris vitio se pepigisse & mira præstuisse putent, cum revera nec pepigerint, nec talia præstiterint unquam. Quæ parùm sincera sunt. Nam Moysi non incognitas fuisse sagas, ipsa vox *מכשפה* quæ præstigiaticem, & sceminam potius quam virum notat, quia probat, semper muliebris sexus ob infirmitatem resistendi Sathanæ, ad impietatem hanc proclivior, quam virilis est. Neque etiam judicium ex nominibus, sed ex gestis potius ac facinoribus petendum est. Possè autem facinora ejusmodi etiam in vetulas cadere, cui dubium esse potest? Inprimis cum revera veneficas esse possè, ne ipse quidem Wierus inficietur. Sive ergo lamia, sive sagæ dicantur, præstigiatices certè esse possunt. Sed lamiarum etiam & strigum diserta mentio est; Esaj. XXXIV. 14. Ubi in sortilega Babylone sessuram, & requiem habituram *לילית* *Lilith*, hoc est, uti Latini reddunt, *lamiam*, *strigem* Esajas dicit. Quæ vox nocturnum spectrum, seu Diabolum noctu per sagas, striges suas grassantem, ipsasque adeo sagas, striges & Empusas omnino significare videtur. Cumque ii ipsi, qui sagarum & lamiarum pacta in dubium vocant, Magos infames & veneficos saltem cum Diabolo pacisci, atque hunc eos alloqui, & interrogantibus responsa dare fateantur, de lamiis certè

certè & sagis id ipsum pertinaciter negare non possunt. Inprimis cum pacti ejusmodi feralis argumenta omni exceptione majora, non confilio duntaxat περιουσία, sed stigmata etiam corporibus fontium impressa suppedient. Quod si Cacodæmon ipsi Christo pacti conditionem offerre his verbis: *Hæc omnia tibi dabo, si procumbens me adoraveris*, Matth. IV. 9. quibus in verbis pactum contractus innominati. *Do ut des*, videre licet, ausus est, quid non adversus γυναίκα ἀναίσχυτον σεσωσμένην *scemellas peccatis onustas* 2. Tim. III. 6. adeoque ad resistendum inermes, ausurum putamus. Quod verò sceminas decrepitas & melancholiæ morbo correptas, sexus, ætatis & maligni humoris vitio imaginari sibi potius, quam patrare viribus suis majora sine discrimine, causantur, febrile certè & anile somnium est. Nam humor nativus sceminæ planè adversatur melancholiæ adustæ, quam à calore & siccitate nimia oriri Galenus libro *de atra bile* scripsit. At sceminæ naturâ frigidæ & humidæ sunt. Unde nunquam sceminam ex melancholia, vel virum ex gaudio mori, sed contrâ sceminas complures summa lætitia enecari, Plinius, aliique naturæ periti observant. Alia etiam melancholiæ vitium à sagis amoluntur, veluti quod in reliquis aequè astutæ, prudentes, cautæ sunt, atque homines alii, in quos nulla maligni morbi suspicio cadit: quod peccatorum suorum conscientiam intimam habent, atque nullis non artibus ea occultare student: quod ejusdem farinae & commatis omnes sunt, eandemque omnes, ad Indiam Orientalem usque in maleficiis suis rationem ineunt, & in dictis, factis, responsionibus, contestationibus, elabendi viis, nullo fere ætatis & gentium discrimine, summopere conspiciunt: quod maleficam artem suam velut per traditionem quandam propagant, & ad liberos posteròsque traducunt. Denique nec confessio rerum impossibile obstat. Distinguenda enim tempora contractus initi, cœptique & continuati sunt. Cum primum fœdus & amicitiam cum Diabolo hi homines contrahunt, faciunt id magis sobrii adhuc, scientes & prudentes, quid promiserint, & quibus conditionibus se Sathanae addixerint. At semel ei addictos, & in horribilem nassam pertractos sic eos ab infideli domino suo deludi & fascinari, ut in myriadas inanum cogitationum & stolidissimarum imaginationum delabantur, nil credere vetat. Quanquam nec omnia impossibilia vel incredibilia sunt, quæ pro talibus sagarum patroni venditant. Quid nî enim copulationes cum Dæmoniis, sine generatione proles, strigiporia & vectationes per aëra, permittente Deo, succedere possint? Nam quæ de unguentis sagarum soporiferis, quibus sopitæ omnes quiescant, nullæ exportentur, obijciuntur, vel verè soporifera illa esse, vel nullas exportari, vel quæ sopitæ quiescunt, spiritu suo cum Diabolo commercium non habere, haud evincunt. Fatemur de cætero, in magis universis, & sagis inprimis veris à falsis discernendis haud vulgari judicio, prudentia & cautione opus esse. Neque etiam promiscuas grassationes in sexum imbellem imperitorum judicium probari posse. Nam quæ expressi cum Sathana fœderis & commercii irreligiosi manifestæ sunt, quales propriè sunt *מכשפות* capitali quidem supplicio nefas justè ex-

pian. At reliquæ, ut & magi omnes implicitæ magiæ convicti mollioribus remediis rectius curantur, & ad sanam mentem revocantur.

LXXIII. Possè enim etiam quosdam in magicam impietatem lapsos curari, tum Manassis magi & poenitentis 2. Paralip. XXXIII. 6. 12. 13. tum Magorum Ephesiorum historia Actor. XIX. 18. 19. extra dubitationis aleam ponit. Quos inter non seducti duntaxat delusi, & nullo cum Sathana fœdere constricti, uti Theologus Anglus Joh. Gaule in *Sel. Cas. consc. de Magia* q. 12. opinatur, sed seductores forte etiam & malignè activi fuerunt; quippe περιεργα παράαντες *curiosa facientes*, & quidem tales, qui habuerunt βιβλους libros incendio concremandos, ibid. v. 19. Licet enim peccatum atrocissimum Magia sit, non tamen propriè peccatum in Spiritum S. est; quod exemplo Simonis Magi idem Gaule probare nititur. Nunquam enim eum vel Philippus baptizasset, vel S. Petrus ad poenitentiam invitasset, facta eidem remissionis spe, his verbis; *εἰ ἀγαπήσῃς μοι ἡ ἐπίνοια ἧς καρδίας σε ἀντί* *forte remittatur tibi cogitatio cordis tui*, Act. VIII. 22. si peccati in Spiritum S. quod in æternum non remittitur, reus fuisset; Possè tamen in censu Magorum esse, qui in Spiritum S. peccant; puta illos, qui illuminati semel à Spiritu S. & de veritate Evangelii convicti, scientes volentes ex mero Dei odio ad impietatem illam prolabantur, dubitari non potest. Quales etiam magi ἀθεράπευτοι sunt. Non tamen omnes, ex professo Dei odio, sed quidam rerum duntaxat terrestrium desiderio occæcati, dirum hoc Sathanae servitium subeunt. quos per gratiam Dei curari posse, ambiguum non est. *Sanguis enim Jesu Christi, Filii Dei, purificat ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας ab omni peccato*, 1. Joh. I. 7. *Ubi abundavit peccatum* (agnitum & deploratum) *ibi superabundat gratia*, Rom. V. 20. Conversus inde post Manassen & Magos Ephesios est Cyprianus, impietati huic, gentilis adhuc, deditus, & à S. Augustino Magus alius, de quo ipse in Psal. XI. sic scripsit: *Perierat iste, nunc quaesitus, inventus, adductus est. Portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, ut illis in ignem missis, ipse in refrigerium transeat*.

LXXIV. Quò verò gravior, & peccatis quibuscumque aliis, uno in Spiritum S. excepto, atrocior est magica impietas, apostasiæ à Deo apex; quò etiam altiores radices fixit, hoc curatu difficilior est. Unde judicem & confessarium suum operosè hac de re instruit Delrio, quoad forum exterius commune illud Ecclesiæ & Politicæ faciens; quoad interius & conscientie judicem confessarium constituens, ac per multa de ordine processus, inquisitione, judicii, denuntiatione, testibus, quaestione, confessionibus, abjuratone, purgatione Canonica, & absolutione, Ecclesiastico & seculari judici suggerens præcipiensque. Nos missa Papæ & assecularum ejus περιεργία & πολυπραγμοσύνη non tam sanandis conscientie vulneribus, quàm destruendo per civilem poenam corpori accommodata, curari impietatem illam posse arbitramur procurata ex Dei verbo salutari poenitentia & fide, confessione Deo facienda & contritione salutari, cui cum reorum errores nonnulli, & metus ille inprimis qui ex fœdere cum Sathana inito concipitur, obstant, dextrè illi demonstrato fœderis illius

Magos
quosdam
converti
posse ostenditur.

Media conversionis eorum procuranda legitima ab illegitimis distinguuntur.

meris fraudibus & mendaciis turpissimis contracti cum iis, qui sui juris non sunt, ἵνα ἀνύρω, minuendi sunt. Contritioni malagmata consolationum & promissionum Evangelii, ne immodico dolore κατ' ὑπερβολὴν ἀμαρτωλὸς absorbeat, succenturianda: preces & jejunium Ecclesiae cum precibus & jejunio poenitentis coniungendae, Matth. XVII. 21. Denique operum Sathanæ analysis prudenter ita instituenda est, ut amor Sathanæ amor Dei, fœderi cum eo inito, fœdus gratiæ in Christo; ignorantiae, diffidentiae erga Deum, superstitioni, ambitioni, aliisque ejusmodi peccatis, quæ Sathanæ commeatum ad cor hominis fecerunt contraria omnia Θεὸς βοηθεῖ, subroganda esse poenitens persuasissimum habeat.

Læsis à dæmone & Magis Pontificii succurrunt per remedia, quæ ipsa magiam impietatem spirant.

LXXV. Sed & iis, quibus à Dæmone & magis noxa infertur, religiosè providendum est. Nemo enim, quantumvis insignitè pius & probus, securum à machinamentis Diabolicis animum gerere ausit. Deus enim pius tam ad miseria & certamina cum Sathana in hac vita exantlanda multiplicia, quam ad coronam post hanc vitam vocavit. Liberum quippe Deo est adversus fideles non trita duntaxat morborum, & rerum adversarum virga, sed raris etiam & inusitatis suppliciis, quæ inter Sathanæ etiam & magorum injuriæ referendæ sunt, uti: Quod vel solorum energumenorum exempla probant. Atque heic denuò Pontificii naniis suis læsis à Sathana occurrere conantur: puta Missæ sacrificio, oleo infirmorum, exorcismis, aqua benedicta baptismali & lustrali, Agnis Dei, reliquiis Sanctorum, amuletis, campanæ benedictæ pulsū, aliisque oculiferiis ejusmodi, quæ illi remedia, nos scelera appellamus. Ipsa enim pleraque Magiæ morbo pallent; utpote in quibus verbis, characteribus, ritibus, rebus, quæ in singulis remediis præscribuntur, vis & operatio talis adscribitur, qualem nec à natura, nec à Deo, institutione & promissione Divina, per revelationem omni exceptione majorem, habere cognoscuntur. qui generalis Magiæ explicitæ & implicitæ character est. Similia verò Magi in suis operationibus cum adhibeant, ad hanc illi veluti sacram anchoram cum Delrione, confugiunt, illos privata, adeoque nulla, hos publica Ecclesiæ, adeoque valida autoritate fretos, remediis talibus defungi: Quasi privatione tantum peccare nefas esset, at fas esset peccare autoritate Ecclesiæ. Qui verò exorcismos & formulas Ecclesiasticas probant, qua fronte agricolarum & muliercularum adjurationes, quibus hominum vel bestiarum morbos depellere conantur, damnant? Utrique verba adhibentur pia ex Scripturis petita, ad usum verò tales neque à Deo, neque à natura instituta. Pari etiam successu exercentur. Sicut igitur olim pirata ab Alexandro interrogatus, qua re fretus maria infestaverit, respondit: *Ego quoniam id unico navigio facio, vocor pirata, tu cum idem facis magna classe, Rex vocaris*: ita mulierculæ Delrioni respondere possent: *Nos cum vel febrim, vel vaccam aut equum læsum curamus optimis etiam verbis & preculis exorcizamus, incantatores & incantatrices vocamur: Tibi autem Episcopi, cum idem in exorcizandis anguillis, sanguisugis & bruchis fecerint* (uti fecisse S. Wilhelmu Laufanensem, S. Praminium aliósque referunt) *Sancti & venerandi Patres sunt*. Olim

Gedeon propria autoritate *Ephod fecit, & in urbe sua Opbra statuit*, ac postea *fornicatus post eum est totus Israel*, Judic. VIII. 27. An nocens fuit Gedeon, cum privatus & solus peccavit: at innocens Israel, quia quod Gedeon admisit, Ecclesia similiter in se admisit? Sed profectò nunquam Ecclesia Apostolica ejusmodi remediis usa est: quicquid de Episcopo quopiam in sua diœcesi, vel Papa in toto Orbe suo Romano tale quid faciente fiat. Neque ullum etiam Concilium Orthodoxum, ac ne Pontificium quidem ceremonias istas probavit. Nam & in ipso Concilio Tridentino non defuerant saniores nonnulli, qui abusum Scripturæ in incantationibus tollendum censuerunt, repugnantibus aliis, & formularum ejusmodi usum, ceu pium & religiosum laudantibus. Ipsa verò Synodus nihil definire sustinuit. Quod verò denique experientiam Sathanæ exorcismis cedentis attinet, similem experientiam Magi notorii allegant. Aurea verò sunt illa Johannis de Hassia verba; ab ipso Delrione descripta. *Ipsè (Sathan) simulat se captum, ut te capiat: se vincit, ut te vinciat: se tuo imperio subditum, ut te sibi subdat: à te inclusum, ut te firmiter includat: fingit, se tua arte imagini vel lapidi alligatum, ut funibus peccatorum religatum ad infernum te perducatur*.

LXXVI. Tutius longè certiusque adversus Sathanæ & Magiæ omnis infestationem alexipharmacum est in fœdere gratiæ, per sanguinem Christi in Evangelio confirmatæ, non externa duntaxat professione, quæ fucata esse potest, sed vera fide poenitentiae & obedientiae novæ fructibus exuberante ἐγκυβρίσεις ἐσθλῆς inseri. Inde enim favoris Dei & promissionum ejus independentium, inter quas præsentiae Divini Spiritus & Angelici præsidii castra circa nos metantis, postrema non est, certitudo oritur; effectura plenè, ut à Sathanæ & Magorum noxis vel immunes planè simus, vel protinus, volente Deo, ab iis liberemur. Meditanda inprimis excellentissima promissio, quæ disertissimis verbis Psal. XCI. toto expressa est. Fugienda inprimis omnis cum iis conversatio est, neque suspecti, qui affectari non conantur, temerè admittendi, quos constat ad Diaboli Præceptoris sui amulim factos, suaviter blandiri iis, quos occidere crudeliter tentant. Remedia verò à fascino & artibus Magicis jam læsos curantia, vel integras regiones & Regna, vel singulos malo hoc laborantes concernunt. Totæ regiones & Regna sola Evangelii sincera & intemerata prædicatione, vera fide, & prompto obsequio curantur. Disertè id testati sunt LXX. discipuli à Christo ad prædicandum Evangelium emissi, qui reduces & ovantes Christo dixerunt: *Domine etiam demonia obediunt nobis in nomine tuo*. quibus Christus attestatus respondit: *Vidi (vobis scilicet prædicantibus) Sathanam, velut fulgur, ex Cælo cadentem*, Luc. X. 17. 18. Evangelii enim præconium brachium & sceptrum illud est, quo tenebrarum Regnum Deus diruit, & Sathanæ molimina confundit. Singuli verò curari ita possunt, si vias suas scrutati, peccata, malorum omnium causam agnoscant, eorum condonationem gratiosam enixè flagitent, Deum, exemplo S. Pauli, 2. Cor. XII. 7. 8. ardentè precantur, ut, si quidem ad nominis sui gloriam & patientium salutem faciat, Sathanam colaphis cadent-

Salutaria eorundem curandarum remedia explicantur.

cadentem ipse increpet & compescat, & liberationis tempus patienter expectantes in gratia Dei, quam experiuntur, tantisper acquiescant. Accedet, necessitate ita postulante, precum & intercessionum Ecclesiae publicarum *αὐτοεργετα*. Multum enim *δύσως δὲ καὶ ἐν ἐργασίᾳ* petitio iusti efficax valet, Jac.V. 16.

Dæmon quandoque sensibili specie terre per spectra qua vera subinde apparere ex Scriptura Judæorum & gentium consensu & experientia adversus Sadduceos veteres & novos, Spinozam in primis probatur.

LXXVII. Dæmones porro etiam sensibili specie quandoque se offerunt; idque domi, in agris, sylvis, mari, & tanto frequentius, quanto major Dei veri ignorantia est. Quod hodièque in gentibus idololatricis contingit, atque etiam in Lapponibus & Finnis, extioris Septemprionis populis; ubi tenuis & valde diluta veri Numinis cognitio est. Hujusmodi oblationes spectra dixere; sed voce paulò angustiore. Spectrorum enim nomine non ea solum, quæ videmus, (qualia propriè spectra sunt, à veteri *specio*, hoc est, video, unde *species*, sicut à facio *facies*; & à specie spectra) sed etiam, quæ auditu cognoscimus; veluti fragores, strepitus; vel si ubi videas neminem, vox humana major aliquid significat, intelliguntur. Græcè *φάντασμα* dicitur. Dixerunt discipuli Christi, eo ambulante viso: *ὁ φάντασμα ἐστίν*, quoniam phantasma, seu, uti Erasmus reddit, spectrum est, Matth. XIV. 26. *Videntes illum ambulantem in mari, putarunt φάντασμα εἶναι* spectrum esse, Marc. VI. 49. Syrus *רוח רע* visionem reddit. Alibi Luc. XXIV. 37. *πνεῦμα* spiritus vocatur. Putarunt discipuli Christo viso, se spiritum videre. Liqueat inde, opinionem spectrorum in populo Judaico obtinuisse. Neque illam opinionem Christus, in cujus persona ita discipuli aberrarunt, correxit. Sed & historia Heliodori ab equite formidabili flagellati, 2. Macchab. III. 25. 26. nec non quinque equitum Judæ Macchabæo opem ferentium, eandem Judæorum opinionem veterem confirmat. E Gentilibus etiam non vulgus duntaxat, sed flos etiam populi in hac sententia fuit. Licet enim sapientes eorum multi haud ignoraverint, subinde spectra fingi ab hominibus otiosis, invidis, avaris, ambitiosis, libidinosis, & spectra frequenter sibi fingere, sensu animi & corporis minus valentes, melancholicos, furiosos, meticulosos, quibus atra bilis imaginationem corrumpit: tamen non in universum fidem spectrorum aboleri posse prudenter statuerunt. Quomodo Plutarchus de spectro Dionis in vita ejus differens, & opinionem negantium ea, & ad pueros, mulierculas, deliros ablegantium narrans, ibidem tamen refert, ut genius Dioni & Bruto, viris magnis & Philosophia haud parum excultis, vitæ suæ exitum significarit. Nec ignotum, quid de Curtio Rufo Plinius lib. VII. Epist. ad Suram scripserit; & de pluribus aliis Petrus Tyræus, p. 1. de locis infestis. & Ludovicus Lavaterus nostras de spectris, ubi ex variis authoribus fide dignis adeò multa illi, testibus cordatis prodita collegerunt, ut fidem singulis demere non videatur alterius, quam ejus, qui conscius sibi vanitatis suæ, cæteros etiam suo pede metiatur, neque ullos inveniri probos & fide dignos arbitretur. Quo in genere numerandi sunt Epicurei, Sadducei, Libertini, ac non ita pridem Spinoza in Epistola cum viro docto velitatione, Epist. LV. LXI. ubi in spectris spiritus quosvis oppugnat, & ceu nescio quæ *sepsi quædā* falsè ridet, ac ridendos ab omnibus, qui mortalium imaginationum &

phantasmatum effectus perpendunt, decernit. Quasi quæ nec à causa naturali, nec à Deo proficisci possunt, & humanis viribus majora sunt, mortalium imaginationum & pathematum effectus esse queant.

LXXVIII. Sed quid sint spectra definiri posse Spinoza negat. Si Philosophi, inquit, Epist. LVI. quæ ignoramus, spectra nominare volunt, ea haud negabo, quia infinitæ res sunt, quæ me latent. At quarum essentiam haud satis exactè novimus, earum existentiam ex operationibus sciri nihil vetat. Nos etiam, quid non sint vera spectra, novimus. Non enim, quod rationibus solidis confirmatum variè est, sunt vel phasæ naturales, quales multæ meteorologicae sunt: non idola per artem Magiæ naturalis exhibita: non lævæ phantasiæ vel sensuum ludibria: non improborum animæ propter scelera in Diabolos transformatæ, & sepulchra corporum oberrantes, quæ Platoniorum veter peritatio fuit: non animæ impiorum per incantamenta ad corpora sua revocatæ, quales gentilis olim necromantia finxit: non animæ piorum ex Purgatorio reduces, quod Pontificii de quibusdam affirmant: non Deus, vel Angeli boni, quibus spectrorum impiæ operationes tribui nullo modo possunt. Relinquitur, ut sint Diaboli, vel sensibus humanis illudentes, vel corpora, quæ circa homines sunt, agentes, & impulsu eorum strepitum cientes: vel corpora animalium obsidentes; vel humana etiam impiorum cadavera raptantes: vel aliis modis sensibilibus homines singulari Dei judicio infestantes. Nihil enim horum fieri non potest. Viventia verò hominum corpora efficere & aptare sibi non possunt. Spiritus non habet carnem & ossa sicut me habere videtis, Luc. XXIV. 39. Nec impiorum animas cum corporibus suis unire, & in iis apparere possunt, quia resuscitatio ex mortuis Divinæ potentia opus est. Et quidquid de corporibus seu cadaveribus impiorum fiat, in piorum saltem cadavera infestanda & agitata, nedum revocanda nulla potestate pollent. Nam nec cadaver Moysi Diabolus attingere potuit, Archangelo Michaeli validè obsistete, Jud. v. 9. Neque adeò Samuelem verum ex bustis suis illa *אורביתון* pythoniis *אורביתון* divinans in Pythone (qualis Samuel non fuit) revocavit, sed spectrum, sub quo personatus Diabolus Samuelem mentiebatur, 1. Sam. XXVIII. 8. &c. suo enim se indicio prodidit, ut Angelus mortis, denunciatus Sauli v. 19. Cras tu & filii tui mecum erunt, quod nuntium nec maledictionis fuisset, nec Saulem terruisset; si verus Samuel è Cælo evocatus hoc dicto translationem in Cælum ipsi promississet. Sive autem mendaci promissione cœlestis cum Samuele domicilii Saulem lactavit, sive vera denuntiatione infernalis domicilii, in quo verè cum ipso futurus esset, eundem terruit, ad desperationem, ex qua *αὐτοχέρε* factus est, eum redigens, spiritus malus Samuelis larva indutus facillè deprehenditur.

LXXIX. Ita & variæ, & concatenatæ, & horribiles Diaboli operationes sunt, quibus illi tum salutem fidelium impetit, tum infidelibus occæcandis, indurandis, vexandis imminet, ne ad conversionem eniti valeant. Neque adeò fascinari non ita pridem mundus debuit opinione pestifera, ex orco revocata, quod Diabolus nec interit hominum cœtibus, nec quicquam ad-

Quid non sint spectra, quid sint, quibus in corporibus apparere dæmon possit, edisseritur.

Falsitas & periculum assertionis novissima, quod dæmones cœtibus humanis non interfunt, nec

quicquam
apud homi-
nes operari
possint.

adversus homines valeat, vel operetur. Quod capitale profectò dogma & Scripturæ & experientia è diametro adversatur; & πανοπλίαν illam S. Pauli, qua ille nos munit adversus πνευματικὰ ἢ πονηρίας ἐν τοῖς ἐπαινετοῖς spiritualia nequitia in supercoelestibus, seu illis, quæ coelestia in terris habemus, quibus se Sathanas, seu ὁ θεός τῶν αἰώνων Deus huius seculi 2. Cor. IV. 4. per πονηρίας nequitiarum, sophismata, ratiocinationes falsas, fraudesque ceteras πνευματικῶς spiritualiter, subtiliter, ingeniosè, uti spiritum veritatis decet, immiscet, Ephes. VI. 12. 13. inutilem reddit, atque ita nos velut nudat & exarmat, ut opportunissimus omnibus artibus & ignitis telis mali illius: & ad securitatem carnalem comparatum totum est, ut facilius incauti, & periculis suorum maximorum ignari, vel contemptores, opprimantur: & tot Scripturæ dicta clarissima pervertit, atque per insanam ἀλλογομασίαν in sensum alienissimum detorquet: & decuma nam ad Sadducæismum, ne dicam, Atheismum januam aperit.

Argumen-
ta ejus ad
incudem
revocata.

LXXX. Nequicquam verò fundamentum inipii dogmatis ponitur tum humana ratio, quæ vetet credere, quod spiritus in corpora agere possit: tum Scripturæ autoritas. quæ Diabolum damnatum, & inferno inclusum testatur. Ac priore illo nihil equidem frigidius & absurdius excogitari poterat. Deus enim Spiritus simplicissimus ita in corpora agit, ut sine eo nec corpora existerent, nec vivere, nec moveri possint. Ipse dat omnibus vitam & habitum & omnia, Act. XVII. 25. Neque cogitari potest, quomodo sine virtute spirituali in corpora agente corpus indole sua iners & languidum movere corpus, vel motus ex uno corpore in aliud transire possit. Anima hominis pariter spiritus corpus sibi sociatum sola voluntate movet & dirigit. Ac licet Angelis Deus corpora nulla sociaverit, nil tamen impedit, quò minus ipsi movere corpora sibi non unita possint, quia ejusdem naturæ, affectionum & operationum capaces sunt. Unio essentia spiritus accessoria, vires essentia non auget, nec minuit. Præterea nec defectio spirituum à Deo ita eorum vires sustulit, ut Deo ministrare, & in corpora eorumque imaginationes, affectus, sanguinem, spiritus vitales & animales, &c. peccato corrupta & confusa, majorem etiam corruptionem & ἀσθένειαν inducere amplius non valeant; uti nec spiritus hominis peccato corrupti simili potentia destituitur. idque eò magis, quò magis suggestionibus & inspirationibus malignis voluntas hominis consentit & inescatur, atque ita ab amore & studio rerum æternarum & Divinarum ad amorem & studium rerum caducarum & terrestrium, quibus ex Dei creatoris lege dominari per imaginem, non servire per concupiscentiam debuerat, traducitur. Et suppar posterius fundamentum est. Licet enim Deus Angelos peccatores in tartaro catenis tenebrarum æternis adstrinxisse. 2. Pet. II. 4. Jud. v. 6. dicatur, id tamen non impedit, quò minus in terra, aère, imò ipso Cælo identidem versetur. Idem enim S. Petrus, 1. Pet. V. 8. testis est, eum leonis rugientis instar περιπατεῖν obambulare quarentem, quem devoret. Ideo etiam statim Paradisum ingredi ausus est. Ubi quicquid verò est, in tartaro est, quem secum gestat. Sicut verò mali Angeli domicilium

suum coeleste deferentes, tartaro damnati, seu inferno addicti manent: ita boni semper in Cælo faciem Dei videre Matth. XVIII. 10. dicuntur; utpote originem & domicilium suum proprium non æquè ac mali derelinqentes, Jud. v. 6. Id verò nullatenus eos impedit, quò minus Divina dispensatione interdum in terra, missi à Deo, appareant. In Cælo est, cujus ubicunque existentis πολιτεύμα in Cælo, in tartaro, qui, ubicunque extiterit, inferni manceps est. Inanis porro metus est, quòd sic Diabolo æqualis Deo potentia tribuatur, & æquali pariter honore idem prosequendus foret. Quæ cæca rationis murmura & bacchationes sunt. Deus enim potentiam infinitam, & nullis limitibus constrictam, agendi quicquid lubet, ad gloriam suam habet: Sathanas limitatam ex voluntatis Dei imperio non agendi quicquam ad gloriam Dei, sed ἡττῆς ad perdendum (unde Asmodæa ei nomen est) ὡς καὶ ad excidendum, Esaj. X. 7. in contumeliam Dei, imò ad damnationis ejus incrementum, habet. Quæ potentia impotentissima: sicut contra Dei impotentiam, qua malum facere non potest, maxima ejus potentia est. Deus πῶς realitatem, perfectionem, virtutes producere in rebus, quæ nondum sunt, & quas vocat, ut sint, & easdem in rebus, quæ jam existunt, conservare & augere; imò ex malo bonum elicere, & liberare ex eodem potest. Diabolus contra in subjectis vel jam corruptis, vel ad corruptionem inclinantibus, iisque solis producere & augere malum, defectus, vitia, confusionem, destructionem potest. Pariane ergo potentia Sathanæ cum potentia Dei facit? Scripturæ quidem Deo etiam potentiam destruendi, occidendi, affligendi, occidendi tribuunt, ut justo judici, qui in actionibus illis positivum & reale quid semper intendit, secus ac Sathanas, qui nil nisi malum & destructionem intendere potest. Neque etiam ita operationes Sathanæ mirabiles, vera Dei & Christi miracula adæquant, vel suspecta reddunt. Miracula enim Dei ædificant, ad statum realiorum, perfectiorum, ordinationem, amorem quippe & glorificationem sui & salutem ac beatitudinem hominum tendunt, & infinitæ ac independentis potentia verissima opera sunt. Sathanæ opera mira, at non miracula limitatæ per Dei voluntatem potentia effectus ad extremam denique confusionem & ἀσθένειαν, qua homines corrupti & miseri ad statum corruptiorum, miseriorum, à Deo, luce, perfectione, felicitate remotiorum deprimuntur, tendunt. Est insuper Diabolus captivus Dei, damnatus, impotens, κατὰ imperio, quo valebat, exutus, Heb. II. 14. Idem verò etiam Deus huius seculi est. 2. Cor. IV. 4. Princeps mundi tenebrarum, Eph. VI. 12. Princeps potestatis aëris efficaciter operans in filiis rebellibus, ibid. II. 2. Leo rugiens, 1. Pet. V. 8. Draco ille magnus, Apoc. XII. 9. Comparatus cum Christo Rege, cui omnis potestas in Cælo & terra data est; impotens, totus imperio ejus constrictus & tenebris damnatus tenetur: sed ejusdem voluntate, regnat in tenebris, servitute abjectissima omnium. Sicut enim qui Deo servit, regnat: ita qui in mundum regnat, servit; gerens secum Dei, lucis, bonorum omnium privationem, tenebras, malignitatem, cujus virus continuò fugit, inquietudinem æternam, & expectationem horrendam judicii.

dicii. Porro nec dictum absurdum est, Deum tentationem Diaboli permittere, & cum ejus fraudibus ac seductione quodammodo concurrere. Cur enim aliàs Christus nos precari iussisset: *Ne nos inducatis in tentationem!* Sed de permissione illa & concursu cum peccato abundè supra. Timendus etiam solus Deus, hoc est, amandus omni affectu, ne eum perdamus, prosequendus est. Sathanas verò propter Deum, qui eo ministro & executore utitur, ita timendus pariter est, ut eum fugiamus, aversemur, nec cum intrugiferis ejus operibus commercii quicquam habeamus. Denique neque homo ita inflabitur, si à se vinci posse Sathanam cogitaverit, quia in nobis Christus Sathanam vincit, eumque sub pedibus nostris conculcat; vel desperabit, visio tremendo hoste, quia novit, eum judicatum esse, & potentiorē esse Christum ad nos protegēdos, quā Sathan est ad oppugnandos: vel peccatorum & malorum culpam in solum Sathanam rejiciet, gnarus quippe, se quoque vivere in carne, & à propria concupiscentia extrahi & inescari Jac I. 14. ut Diabolo tentatori obediat.

LXXI. Habet ergo Diabolus, volente Deo, Regnum, sed miserimum illud, & quod variis gradibus jam antiquatum, quandoque penitus abolēbitur. Primò enim Deus in Paradiso contritionem capitis Serpentis interminatus est. Mox eam executus est, adempta ei in fideles potestate victrice. Sed non desiit ille accusare peccatum, nondum sanguine Christi actum piatum & sublatum. Quo verò tempore peccatum in carne Christi damnatum est, ipse quoque importunus accusator judicatus & condemnatus est. Cū venerit Spiritus ille, docebit mundum de judicio, quia princeps ille mundi judicatus est, Joh. XVI. 8. 11. Deus misso Filio, &c. condemnavit peccatum in carne, Rom. VIII. 3. Evangelio eadem de re in mundo prædicari cœpto, vidit Christus Sathanam, velut fulgur à Cœlo, (ubi peccatum accusaverat) cadentem, Luc. X. 18. Nunc judicium est hujus mundi: nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, Joh. XII. 31. hoc est, imminet tempus judicii Judæorum rebellium, & Diabolus de throno suo depelletur, ne Gentes à Regno Christi alienare, & ad crassam apertamque idololatriam amplius seducere possit. Quod factum est, postquam Sancti eum vicerunt per & propter sanguinem Agni, & sermonem testimonii ejus, non diligentes animam suam usque ad mortem, Apoc. XII. 11. & Draco, Serpens ille antiquus, qui Diabolus & Sathanas est, ligatus est mille annos, & coniectus in abyssum, &c. ne amplius seducat gentes donec mille anni finirentur, ibid. XX. 2. 3. Quæ ligatio Sathanæ & in abyssum coniectio eo tempore, quo gentes ab idolis suis ad Christum conversæ violentam & fraudulentam ad idololatriam seductionem pati desierunt; hoc est, circa Constantini M. Christianis pacem impetrantis & Imperii Romani magnam partem ad fidem Christi traducētis, tempora contigit. Quando nempe oracula cessarunt, fana Deorum clausa sunt, servi Sathanæ, falsos Deos nominare desierunt, ipse verò Sathanas in Angelum lucis se transfigurare, & non amplius aperta vi, sed latente in mysterio impietatis Regnum Bestiæ & Antichristi promovere coactus est, tum verò coniectus in abyssum fuit. Est equidem Sathanas in tartaro, ubicunque sit, etiam cū in

Cœlo, ceu accusator, comparet. Sed habet tartarus ille suam abyssum, in qua non semper est. Non enim semper eundem dolorem & cruciatum experitur. Cū gentes palam & cum successu seducere, & latius regnare potest, minus ille cruciatur, quā cū id non potest. Rursus verò quando per simulationem mysterii thronum Antichristi erexit, & defectionem manifestam invexit, solutus iterum ex abyssu illa prodiit, ut gentes in quatuor angulis terræ seduceret, & Gogum atque Magogum in bellum congregaret, ibid. v. 8. 9. Sed quando ignis de Cœlo descendit, & exercitum Gogi devorarat, etiam Diabolus gentes seducens, cum Bestia & Pseudopropheta in lacum ignis & sulphuris conjicitur, ut crucietur die & nocte. v. 9. 10. Ita Regnum & potestas Sathanæ paulatim minuitur, & cruciatus augentur; Atque id ipsum maledictione Serpentis Genes. III. 14. 15. adumbratum est. Quod vel inde liquet, quia Diabolo in stagnum ignis ita coniecto, ut in toto monte sancto nocere amplius non possit, pro חֵלֶב pane seu cibo deputatur כֶּחָר pulvis, hoc est, non fideles amplius, quorum seductioni vi aperta & fraude hætenus incubuit, sed seculi homines, pulverei & carnales, Esaj. LXV. 25. juxta Genes. III. 14. Pulverem comedes; quin & cessante persecutione & idololatria idem dicitur conteri sub pedes fidelium, Rom. XVI. 20. cui responderet, quod Genes. III. 14. dicitur: In ventre tuo repes; hoc est, humi repes, neque contra fideles amplius te eriges. Paucis; ut vicissitudines & decrementa Regni Sathanæ constringamus, Diabolus in prima promissione potestate victrice adversus fideles exutus; in Cœlo tamen, ut accusator peccati nondum deleti, comparuit: Christo peccatum in carne sua condemnante ipse quoque causa, quam adversus fideles hætenus egerat in judicio, cecidit: Evangelio prædicato ex Cœlo fulguris ad instar lapsus est, inde indignabundus sub Draconis specie gentes ad persequendos fideles, seduxit; mox, sub Constantino M. ligatus & in abyssum coniectus est mille annos: interea in Angelum lucis se convertens mysterii latentis dolo Bestiæ & Antichristi Regnum extruxit: eo finitis mille annis sub Bonifacio VIII. ad æquum suam perducto, denovo solutus ex abyssu prodiit, & Antichristo armato bella religiosa necdum sopita conflavit; quibus, quando Christo visum fuerit, sopitis, cum Bestia & Pseudopropheta in stagnum sulphureum coniectus, sensu potestatis adversus Ecclesiam multum imminuta, cruciabitur diu noctūque, donec abolito ultimo hoste, morte fidelium, ad judicium ignis damnatus, in æternum illud & sui ipsius & impiorum omnium crudelis tortor & carnifex subibit.


LXXXII. Hæc denique de bonis & malis Angelis doctrina ex Dei Verbo sobriè tradita maximo fidelibus usui esse potest. Consolationem enim summam affert, quod Angelos bonos salutis nostræ procurandæ jugiter ministrare, & potente præsidio sub manu Dei nos protegere novimus. Quorum ministerio opera & amicitia adeo nobis salutari ut fruamur perpetim, sanctimoniam, puritatem, & erga Deum pietatem in omni vita ut exprimamus, hoc opus, hic labor noster esto. Inprimis suspirandum nobis ob peccata propria & aliena, gnaris maximè, Angelis id inter alia negotii à Deo datum esse, ut

Doctrina
de Angelis
bonis & malis
usui.

Regni Sathanæ
decrementa
per gradus
sua procedunt.

eorum, qui abominationes mundi verissimis questibus deslent, peculiarem rationem habent. Et dixit Jehova Angelo: Transi per medium civitatis, per medium urbis Hierusalem, & signato frontes hominum, והנאנח והנאנח gementium & clamantium propter omnes abominationes, quæ sunt in ea, Ezech. IX. 4. Jam & maiorum Angelorum consideratio simul horrorem severitatis Dei erga illos, simul admirationem clementiæ ejusdem erga nos efficere debet. Angelis peccatoribus non pepercit, &c. exemplum ponens eorum, qui ἀσεβειν μέλλουσι impiè vivere volunt, 2. Pet. II. 4. 6. Quid est homo mortalis, ut ejus memineris, & filius hominis, ut eum (potius quàm Angelos) visites? Psal. VIII. 5. Religio in primis nobis sit, Deum peccatis nostris offendere, qui in manu sua ferales adeò & truces creaturas, ad nutum suum stantes ringentesque habet. Cumque à potentibus & formidabilibus adeò

hostibus salus nostra sine fine & modo impetatur, clypeo fidei nos armemus, & timore Dei pectora muniamus oportet. Induite totam armaturam Dei, ut possitis resistere artibus Diaboli, &c. Ephes. VI. 11. Vigilate, quia Adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens obambulat, quærens, quem devoret. cui resistite στεγὸν τῆς πίστεως firmi fide, 1. Pet. V. 8. 9. Denique illud in tantis periculis ab hoste illo ἀσπένδω imminentibus solatio sit, quòd Christus Dominus noster infinitis modis Diabolo potentior, ejusdem caput contrivit, Genes. III. 15. ἰσχυρὸν fortem illum ligavit, Matth. XII. 29. Numquid tolletur à potente præda, & num captivitas justi evadet? Nam sic ait Jehova, simul captivitas fortis accipietur, & captura violenti evadet: Et cum litigaturis tuis Ego litigabo, & filios tuos ego salvabo, Elaj XLIX. 24. 25. Deus pacis conteret Sathanam sub pedes vestros brevi, Rom. XVI. 20.



LOCUS NONUS

DE

FOEDERE OPERUM.

BREV I A R I U M.

Hominis prærogativa singularis est, quòd Deus eum Regno suo, quòd in terris erexit, innectere dignatus est. 1. Regnandi potestatem Deus à creatione habet. 2. Neque Rex tantum, sed etiam Pater hominis Deus cluet. quòd fundamentum est fœderis cum homine initi. 3. Totius Scripturæ medulla fœdus Dei cum homine est. 4. Proin Regnum illud, quòd Deus hominem, & propter hominem totum mundum gubernat, fœderis formam & normam habet. 5. Vocum fœdus, ברית סודותיה & דיאלקטיקה, notio evoluitur. 6. Homonymia earundem vocum explicatur. 7. Fœdus Dei cum homine definitur, & ejusdem atque humanorum fœderum discrimen panditur. 8. Jus Dei eminens est, quòd solus cum homine fœdus pangere potest & vult; quo modo illud μονόπλευρον est; licet conditionum mutuarum respectu διπλόπλευρον sit. 9. Actus fœderis respectu Dei & hominis distinguuntur. 10. & fusius explicantur. 11. Juxta eosdem actus fœdus Deum inter & hominem intercedere, naturaliter etiam cognoscitur. 12. sed potentius longè ex revelatione, quæ fœdus Dei cum homine duplex, operum & gratiæ distinguit. 13. Pelagianorum, Pontificiorum & Socinianorum nonnisi unum fœdus, atque operum illud agnoscendum; nec non Amyraldi, triplex fœdus inducentis, elenchus. 14. Fœdus operum definitur. 15. Cum Adamo integro Deum fœdus exercisse, ad versus Socinianos demonstratur. 16. Partes fœderis illius Deus & Adam fuerunt; & Deus quidem ut creator, quæ vox eum legislatorem & remuneratorem exhibet. 17. Adam verò partim quia homo, anima & corpore recto ac immortalis præditus; 18. partim quia homo primus & generis humani caput, quòd ille fœdus cum Deo iniens representavit. 19. Rationes representationi huic oppositæ diluuntur. 20. Officium, quòd Deus ab homine stipulatus est, fuit obedientia. 21. Cujus canon fuit in Lege, qua Deus Adamum sibi obstrinxit, secus quàm Enthusiastæ & Spinoza pertendunt. 22. Vocum Lex, νόμος, מִצְוָה, תּוֹרָה, חֻקִּים explicatio. 23. Lex non est ratio recta, quæ facienda jubet. 24. Sed regula posita ab eo, qui jus habet, creaturæ rationalis in actionibus dirigens & obligans. 25. Obligatio Legis copulativa est, ad obedientiam, & ea violata simul ad pœnam. 26. Lex archetypa & æterna est ipsa sanctitas Divinæ naturæ, quatenus eam creatura rationalis in vita sua exprimere potest. 27. Eclypa, quæ juxta illam in tempore creaturæ rationali præscribitur; eaque Divina vel humana; & Divina vel naturalis, vel positiva. 28. Lex naturalis definitur & explicatur. 29. Philosophorum Veterum & Hobbesii eam ex sola propriæ salutis & utilitatis cura derivantium impietas proponitur. 30. & argumentis pluribus convincitur; 31. Hobbesii contrariæ rationes discussæ. 32. Iudicia, ex quibus actus seu officium à Lege Divina naturali dictari cognoscitur, duosunt; convenientia actus cum natura rationali ac sociali, & morum gentium consensus, quæ nequicquam Seldenus vellicat. 33. Christiani verò iudicium clarius habent in convenientia actus moralis cum Decalogo, cujus præcepta naturalis sanctitatis compendium esse, demonstratur ex præceptis tabulæ tum prioris, 34. tum